RAMC

(a. 2.) 6

MEDICINÆ PRAXEOS

COMPENDIUM,

SYMPTOMATA, CAUSAS, DIAGNOSIN, PROGNOSIN, ET MEDENDI RATIONEM, EXHIBENS.

AUCTORE

E. G. CLARKE, M. D.

Collegii Regalis Medicorum Londinensis, nec non Exercitus, Medico.

EDITIO QUARTA,

PLURIMUM AUCTA ET EMENDATA.

LONDINI,

APUD LONGMAN, HURST, REES ET ORME.

Typis Richardi Taylor et Socii, in Shoc Lane.

MDCCCVII.

VIRO

ORNATISSIMO ET PERITISSIMO,

NEC NON PATRONO SUO PERPETIM COLENDO,

THOMÆ KEATE, ARMIGERO,

REGINÆ,

PRINCIPIS WALLIÆ,

DUCIS EBORACI, ET DUCIS CLARENCIÆ,

CHIRURGO,

EXERCITUS CHIRURGO GENERALI,

ETC. ETC.

HOC OPUS,

PLURIMUM AUCTUM ET EMENDATUM,

OB AMICITIAM VERISSIMAM,

PLURIMAQUE IN SE COLLATA BENEFICIA,

GRATI ANIMI MONUMENTUM,

D. D. C. QUE

AUCTOR.

LONDINI,
Junii 4to, 1800.

INDEX CAPITUM.

CLASSIS I. PYREXIÆ.

CLASSIS II. NEUROSES.

CLASSIS III. CACHEXIÆ.

CLASSIS IV. LOCALES.

MEDICINÆ PRAXEOS

COMPENDIUM.

CLASSIS I. PYREXIÆ.

CHARACTER.

Post horrorem pulsus frequens, calor major, plures functiones læsæ, viribus præsertim artuum imminutis.

ORDO I. FEBRES.

CHARACTER.

Prægressis languore, lassitudine, et aliis debilitatis signis, pyrexia sine morbo locali primario.

CAPUT I. INTERMITTENTES.

TERTIANA.

SYMPTOMATA.

STADIUM primum oscitatione, pandiculatione, lassitudine, debilitate, habitus externi extenuatione, dorsi, digitorum apicum dolore vel molestiæ sensu

incipit; hæc subsequuntur rigor, horror, frigorisque sensus in dorso primum tunc in corpus totum quando revera magis calet; nausea, vomitus, capitis, lumborum, artuumque dolor comitantur; respiratio difficilis fit et anxia, pulsus citatus, debilis ac parvus et urina limpida; frigore gradatim recedente excipit stadium alterum; calor urget intensus, pulsus fit plenus, validus atque durus, respiratio magis libera sed anxia; superficies rubra et turgida; lingua alba, sicca; sitis magna, capitis dolor immanis, nonnunquam etiam delirium, comitantur, et urina rubella demittitur; ægro fere exarescente stadium tertium incipit, sudor erumpit copiosus, urina sedimentum lateritium deponit; restituuntur omnes secretiones, sublevantur symptomata et sudore cessante omnino tolluntur, debilitatis solummodo sen-

su

su manente. Paroxysmi sunt similes intervallo quadraginta octo circiter horarum et accessionibus meridianis. Intermittentes in vernales et autumnales sunt interstinctæ.

CAUSÆ.

Debilitas; effluvia ex paludibus vel agris humidis exhalata, atmosphæra humida; frigus externe admotum, contagium et impulsus fortasse lunaris.

PROGNOSIS.

Symptomata fausta sunt, paroxysmi regulares non supra horas duodecim perdurantes; pustulæ morbo decedente circa labia erumpentes; urina sedimentum deponens: Infausta sunt, coma, delirium, anxietas magna, singultus, tonsillarum tumor, alvus pertinaciter astricta, hypochondrii et epigastrii paroxysmo durante tensio et dolor; cibi

 aversatio

aversatio vel debilitas vertigine in intermissionibus comitata; macularum crebra eruptio urticationem referentium.

CURA.

Primæ viæ lenibus emeticis et catharticis sunt purgandæ, et in intermissione tonica præcipue cinchona; amara; astringentia largis dosibus sunt administranda; si hæc nihil valeant oxidum arsenici; sulphas zinci; hydrargyri præparationes: finis paroxysmo imponatur si datum sit emeticum in gradu frigido, vel opii dosis plena in gradu calido: si adsit diathesis phlogistica venæ sectio est peragenda; si magna superveniat debilitas diæta nutriens est utenda: si coma vel delirium, epispastica, cardiaca. Ad recidivam præcavendum cinchona vel alia ejusmodi remedia breve sunt administranda; causis excitantibus studiose

diose evitatis. An arteriarum femoris et brachii compressio? an aquæ frigidæ affusio stadio secundo? an anthemis pyrethrum in dosi drachmæ dimidiæ frequenter?

QUARTANA ET QUOTIDIANA.

In iis paroxysmi sunt similes, sed in quartana intervallum septuaginta duarum circiter horarum excipit accessionibus pomeridianis: in quotidiana intervallum viginti quatuor circiter horarum subsequitur paroxysmis matutinis: Medendi ratio est eadem ac in tertiana, sed quartana sanatu longe difficilior est, quam vel quotidiana, vel tertiana.

CAP. II. SYNOCHA.

SYMPTOMATA.

Ab horrore perquam insigni incipit;

calore intenso, vultu rubro turgente, cephalalgia, lumborum dorsique dolore, oculorum rubedine, lucis impatientia, sequentibus: cutis, lingua, faucesque sunt aridæ; sitis magna, tussis sicca, anorexia, nausea, vomitus, anxietas, inquietudo et jactatio molesta urgent; olfactus evadit imminutus, alvus plerumque astricta, urina rubra, pulsus frequens, validus et durus; sensorii functiones parum sunt turbatæ, et sanguis detractus crusta albida vel subflava est obductus.

CAUSÆ.

Evacuationes consuetæ subito suppressæ; perfrigeratio calefacto corpore; labor intensus corporis animique; insolatio; eruptiones subito repulsæ; animi pathemata violenta; diæta valde spirituosa, vel helluatio.

DIAGNOSIS.

Ab typho, pulsu valido, calore, doloribus intensis, siti magna et sensorii functionibus parum turbatis, dignoscitur.

PROGNOSIS.

Morbus circa diem septimum, hæmorrhagia, sudore, urina sedimentum deponente, rarius alvi fluxu, fauste frequenter solvitur: Respiratio valde laboriosa, dolor capitis immanis cum delirio feroci, urina pallida et diluta, abdominis viscerumque affectiones et cutis ante diem septimum flavedo, infausta sunt signa.

CURA.

Venæsectio generalis repetita secundum ægri ætatem, corporis habitum, consuetudinem vivendi, anni tempestatem et morbos tunc temporis frequentes,

quentes, et si urgeat capitis dolor hirudines temporibus sunt admovendæ; tunc emeticum; cathartica seu enemata laxantia indies si opus sit, tartris antimonii portiunculis ad nauseam tantum non ciendum; sales medii; diluentia tepida acidis adjunctis; corporis animique quies; regimen antiphlogisticum: si delirium, thoracis vel abdominis affectiones urgeant, sanguinis missione, laxantibus, vesicatoriis et pediluviis sunt admovendæ: an murias barytæ? an digitalis? an hydrargyri præparationes ad lenem salivæ fluxum ciendum?

CAP. III. TYPHUS MITIOR.

SYMPTOMATA.

Sub initio signa sunt, debilitas, languor,

lassitudo

lassitudo inusitata, appetitus prostratus, reditus frequentes frigoris levis et caloris alternorum abnormes, animi dejectio cum suspiriis reiteratis; elapsis diebus aliquot, æger, capitis dolore vel vertigine, frigorisque sensu præsertim occipitis, nausea, pituitæ insipidæ vomitu, magnaque virium prostratione, tentatur; calor parum auctus est, sitis nulla urget, lingua in initio humida est crustaque alba obducta, postea sicca, rubra et aliqua in parte fissa, vultus pallidus atque depressus, pulsus parvus, debilis plerumque frequens, respiratio laboriosa cum constrictionis circa præcordia sensu, urina parum mutata et sensorii functiones plurimum turbatæ, comitantur.

CAUSÆ.

Affectus animi contristantes; diæta tenuis;

nuis; vita sedentaria; evacuationes nimiæ; venus immodica; contagium; atmosphæra calida et humida; sanguinis paucitas.

DIAGNOSIS.

Ab typho graviori, lento ejus impetu, rigoribus minus intensis, cutis pallore, siti nulla et omnibus signis levioribus, distinguitur.

PROGNOSIS.

Symptomata bona sunt, lingua cutisque humidæ; pulsus tardior et magis validus post diaphoresin lenem vel cardiacorum administrationem; pustulæ circa labia naresque; eruptio miliaris sine sudore profuso; surditas; salivatio libera sine aphthis. Mala sunt, delirium cito comparens et perdurans; evacuationes profusæ pulsu debili stipatæ; subsultus tendinum; manuum linguæ-

que

que tremor; venatus floccorum volitantium; pervigilium; oculorum stupor; cæcitas; coma; deglutitio impedita præcipue singultu comitante; petechiæ.

CURA.

Emetica præcipue sub morbi initium nunquam sunt prætermissu; primæ viæ laxantibus et clysmatibus emollientibus sunt deplendæ; diæta nutriens foret; cardiaca præcipue vinum et opium portiunculis tertia quaque hora repetita alternatim; epispastica parva repetita; pediluvia vel crurum fotus præcipue si urgeant jactatio et vigilia; corporis aqua tepida et acido acetoso lavatio et postea ejus perexsiccatio; gas oxygenium; acida mineralia; cerevisia lagenaria, cerevisia pini laricis etc.; spuma cerevisiæ effervescentis: remissione

comparente,

comparente, vel lingua cutique humidis, cinchona libere est adhibenda. Nuper in pyrexiæ exacerbatione, quæ, die advesperascente, vultus erubescentia, siti et inquietudine auctis, notatur, aquæ frigidæ corpori nudato affusio summo cum fructu usurpata fuit præcipue si corpus sit præter naturam calidum; aqua frigida libere est haurienda: an capsici annui grana pauca secunda quaque hora vel sæpius in forma pilulæ? an sub-murias hydrargyri parvis et repetitis dosibus ad morbi catenationem cohibendum? an murias potassæ oxygenatus?

CAP. IV. TYPHUS GRAVIOR.

SYMPTOMATA.

Rigores sub initium magis sunt vehe-

mentes

mentes quam in typho mitiori, quos excipiunt calor intensus et mordax; pulsus durus, parvus, debilis, plerumque frequens et abnormis; capitis temporumque dolor; vibrant arteriæ carotidæ temporalesque, maxima virium prostratio et debilitas, animus anxius, dejectus, pessima quævis ominans, nausea, vomitus bilis subviridis vel nigri coloris comitantur; oculi inflammantur et circa orbitæ fundum dolent, vultus est inflatus et cadaverosus; dorsum, artus, cordisque scrobiculus dolent; cutis arida est cum ingrato calore pungenti; sitis inexplebilis cum oris sapore ingrato vexat: lingua primo alba, postea arida, nigraque: dentes, labiaque, sorde tenaci oblinuntur; vertigo, aurium tinnitus, respiratio laboriosa suspiriis interrupta urgent; urina primo pallida, postea rubra vel nigra, sedimentum fuligineum vel

 fœtidum

fœtidum deponit; morbo ingravescente delirium vel potius stupor et humorum putredinis signa accedunt, qualia sunt petechiæ, maculæ, vibices, aphthæ circa os et fauces nigri coloris cum deglutitione impedita, urina et alia excreta sanguine tinguntur; fæces sunt immodice fœtidæ; hæmorrhagiæ gingivis et intestinis profluunt.

CAUSÆ.

Victus pravus et putridus; aër humidus calidusque; debilitas; effluvia animalium et vegetabilium; diæta tenuis; evacuationes immodicæ; venus immoderata; contagium.

DIAGNOSIS.

Historia supra tradita, ad hanc febrem ab typho mitiori et synocha distinguendum, sufficit.

PRO-

PROGNOSIS.

Color fæcum luteus vel fuscus; diaphoresis lenis; salivatio; parotidum, axillarum vel inguinum glandularum suppuratio; eruptiones circa labia naresque; stupor; surditas; petechiarum color nitidus; urina sedimentum deponens, fausta sunt symptomata. Sitis nulla; petechiæ nigræ magna copia vel eorum recessio subita cum pulsu valde debili; aphthæ lividæ; faucium inflammatio; respiratio valde difficilis cum narium pinnarum motu magno; magna debilitas; dejectiones liquidæ abdomine tenso; decubitus in dorsum membris extensis; sudores profusi; urina fœtida; hæmorrhagiæ; coma altum; tendinum subsultus; odor corporis cadaverosus; infausta sunt symptomata.

CURA.

Emeticum sub morbi initium est propinandum. et paucis horis elapsis submuriatis hydrargyri grana tria vel quatuor conserva vel mucilagine commisti sunt administranda; laxantia indies, ut rheum palmatum et similia seu enemata mitia, ad intestina deplendum materiæ putridæ vel putrescentis quæ jam in corpore subest, sunt uti; antiseptica et cardiaca, qualia vinum, opium, cinchona, ut in typho, libere sunt datu: gas acidum carbonicum in ventriculum acceptum et per anum injectum; refrigerantia, qualia, acida mineralia; sales medii: diæta nutriens; lavatio frigida vel aquæ frigidæ corpori nudato affusio ut in typho mitiori; mundities summa præ omnibus est; aër cubiculi foret purissimus; et morbo decedente

seu

seu debilitate magna superveniente epispastica parva repetita: Diarrhœa, laxantibus, acidis et opiatis sublevanda: Delirium, pediluviis, crurum fotu et epispasticis.

CAP. V. SYNOCHUS.

CHARACTER.

Morbus contagiosus, febris ex synocha et typho composita, initio synocha, progressu et versus finem typhus.

CURA.

Hujus morbi medela secundum ejus typum est dirigenda, sed venæsectio summa cum cautela est peragenda.

CAP. VI. FEBRIS REMITTENS.

Hæc iisdem cum symptomatibus ut febris intermittens incipit, causæ et medendi ratio sunt similes.

CAP. VII. FEBRIS HECTICA.

CHARACTER.

Febris quotidie revertens; accessionibus meridianis et vespertinis; remissione, rarius apyrexia matutina; plerumque cum sudoribus nocturnis et urina sedimentum furfuraceo lateritium deponente.

Symptoma solummodo est Phthiseos, et alio in loco tractabitur.

ORDO

ORDO II. PHLEGMASIÆ.

CHARACTER.

Febris synocha; phlogosis, vel dolor topicus, simul læsa partis internæ functione; sanguis missus et jam concretus, superficiem coriaceam albam ostendens. Species sunt Phlogosis (Phlegmone) et Erythema seu Erysipelas.

CAP. I. PHLEGMONE.

CHARACTER.

Synocha, rubore vivido, tumore circumscripto, in fastigium plerumque elevato, sæpe in apostema abeunte; dolore sæpe pulsatili; resolutione, suppuratione et gangræna terminato: quando resolutione terminatur, decedit inflammatio partis textura integra manente; sin augescant

gescant symptomata, tumore ad apicem elevato cum pulsatione et rigoribus frequentibus, sequetur suppuratio, et pure formato, remittit dolor, tumor albescens, mollis, fluctuans et pruriens evadit: expectanda est gangræna, rubedine, calore, dolore, tensioneque sublatis, et gangrænâ formatâ pars affecta nigrum lividumve colorem induit, cum sensilitatis privatione, cuticulâ simul vesiculis obsitâ.

CAUSÆ.

Materiæ acris parti applicatio, vis externa; corpora extranea in corpore sita; frigus et causæ quæ synocham inducunt.

PROGNOSIS.

Periculum majus est si partes ad vitam inservientes afficiantur, gangrænæ proclivita

clivitas ab signis supra memoratis intelligetur; in internis inflammationibus plus periculi subest quam in externis.

CURA.

Ad resolutionem promovendum regimen antiphlogisticum stricte est adhibendum; venæsectio secundum ægri vires et symptomatum violentiam; hirudines parti affectæ; cathartica; diluentia; refrigerantia; discutientia externe ut acetis plumbi, acidum acetosum, etc. Suppuratio, cataplasmatibus emollientibus et fomentis est promovenda: Gangræna, tonicis et antisepticis est amovenda, quorum optima sunt vinum; cinchona; opium: an moschus et carbonas ammoniæ largis dosibus?

CAP.

CAP. II. ERYTHEMA.

SYMPTOMATA.

Partis affectæ splendor et rubor pressione evanescens sed cito rediens; tumore vix evidente cum dolore urente, mordace; ambitu inæquali, ex uno in alium locum vicinum serpente, in cuticulæ squamulas vel vesiculas raro in gangrænam abeunte: Hæc est sola cutis affectio; quando afficitur systema erysipelas appellatur.

CAUSÆ.

Materia acris cuti applicata vel ex internis emissa; relaxantia.

CURA.

Regimen antiphlogisticum; applicatio topica amyli vel carbonatis zinci impuri; cinchona:

cinchona: si adsit diathesis phlogistica, venæsectio, cathartica, diluentia et similia sunt usurpanda.

CAP. III. OPHTHALMIA MEMBRANARUM.

SYMPTOMATA.

Tunicæ adnatæ rubor, ardor, oculique dolor, muscæ vel spinæ in eo inhærentis sensus; lachrymarum effusio; lucis intolerantia; nonnunquam pyrexia vehemens. Idiopathica vel symptomatica est.

CAUSÆ.

Externa violentia; aliena corpora in oculum insinuata; fumi metallici; palpebrarum intus conversi pili; ebrietas; lucis intentior intuitus; variola; scrophula; syphilis.

CURA.

CURA.

Si sit affectio idiopathica; sanguinis missio generalis et topica; adnatæ vasorum scarificatio; alvi purgatio; vesicatoria pone aures, irritationis omnis præcipue lucis evitatio: applicationes topicæ, quales, acetis plumbi, zinci præparationes, etc. aqua solutæ: opiata interne et tinctura thebaica prioris Ph. Lond. topice; regimen antiphlogisticum. Si superveniret parti affectæ erysipelas, tonica, qualia, cinchona, balneum frigidum, oculi aquâ frigidâ lavatio et similia sunt utenda et astringentia supra memorata: quando sit signum luis venereæ hydrargyri præparationes sunt utendæ: quando scrophulæ sit symptoma, tonica, cicuta, aquæ chalybeatæ et externe cataplasma sulphatis aluminæ vel rumicis acetosæ,

acetosæ, unguentum nitratis hydrargyri et similia sunt admovenda.

CAP. IV. OPHTHALMIA TARSI.

CHARACTER.

Signis supra memoratis addi possunt, tarsi palpebrarum tumor, erosio et exudatio glutinosa; adnatæ inflammatio minus violenta.

CURA.

Medendi ratio eadem est ac in priori specie nisi quod ulcera præparationes cupri, hydrargyri et zinci postulant; palpebrarum adhesioni durante somno obviam itur, illinendo eas unguento oxidi zinci impuri vel spermatis ceti.

CAP. V. PHRENITIS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia vehemens, dolor capitis intensus; rubor faciei et oculorum; aurium tinnitus; vultus ferox; soni lucisque intolerantia; pervigilium; delirium ferocissimum; vires maximæ; arteriarum carotidum et temporum pulsatio; respiratio laboriosa; lingua arida et fusca; pulsus plerumque celer et durus, nonnunquam mollis.

CAUSÆ.

Causæ remotæ sunt omnes quæ synocham producunt; animi pathemata violenta; insolatio; nimia potatio; vis externa capiti illata; tempestas fervida; nocturna studia. Causa proxima est cerebri ipsius vel membranarum ejus affectio.

DIA-

DIAGNOSIS.

Ab mania dignoscitur pyrexia violenta: et ab synocha delirio feroci sub initium accedente.

PROGNOSIS.

Signa fausta sunt, sudores universi; diarrhœa copiosa; epistaxis; urina sedimentum deponens. Signa infausta sunt, vomitus æruginosus; fæces albæ vel cinereæ; sputatio indecora in adstantes; pupilla ampla ad lucem immota; masticatio continua cum oris spuma; floccorum volitantium venatus; oculi pulverulenti; potus pertinax recusatio; deglutitio laboriosa; tremor; convulsio; coma; subsultus tendinum: ab pneumonia lethalis.

CURA.

Venæsectio larga, vulnere adeo amplo

ut plurimus sanguis per id brevi effluat, repetita; hirudines temporibus vel cucurbitulæ cruentæ postea sunt admovendæ; alvi purgatio; epispastica capiti raso; pediluvia; regimen antiphlogisticum; diluentia: applicationes externæ, ut lintea in acido acetoso et aqua perfrigida madefacta capiti admota et debilitate magna superveniente opii tincturæ guttæ paucæ frequenter: corpus erectum tenendum est.

CAP. VI. CYNANCHE TONSILLARIS.

SYMPTOMATA.

Membranæ faucium mucosæ præcipue tonsillarum dolor, tumor, rubor; devorandi difficultas; angustiæ in faucibus sensus; oris fauciumque viscositas; auris

ris internæ dolor; assidua et molesta muci excretio; synocha; tumor primum vulgo in altcrutra tonsilla comparet ubi decrescens in alteram transit, inflammatio nonnunquam magnopere procedit ut spiritus afficiatur.

CAUSÆ.

Omnes causæ quæ inflammationem producunt; frigus collo applicatum; exercitatio vehemens oratoria; stimuli gutture inhærentes; ætas juvenilis.

DIAGNOSIS.

Ab cynanche maligna distinguitur pulsu forti; pyrexia quæ in hoc morbo synocha est in altero typhus; ulcerum absentia.

PROGNOSIS.

Terminatur frequentissime resolutione,

suppuratione, raro gangræna; pyrexia lenis, respiratio libera, tumor externus, fausta sunt symptomata.

CURA.

Sanguinis missio topica; vomitoria præcipue sub morbi initium; epispastica et rubefacientia collo admota; alvi purgatio præcipue cum sub-muriate hydrargyri; regimen antiphlogisticum; gargarismata astringentia; vaporis aquæ calidæ et acidi acetosi inhalatio: si minitetur suppuratio fomenta et cataplasmata sunt utenda: si metuetur suffocatio tonsillarum scarificatio vel ætheris sulphurici et aquæ calidæ inhalatio: An bronchotomia?

CAP. VII. CYNANCHE MALIGNA.

SYMPTOMATA.

Horrores crebri, nausea, anxietas, vomitus,

mitus, prima sunt indicia morbi; eodem tempore vel brevi post, cervicis rigor, faucium molestia et raucedo incidunt; fauces alte sunt rubræ, parum tumidæ, deglutitio parum difficilis; mox supra partes affectas, maculæ albidæ vel cinereæ, serpentes, coëuntes comparent, et fauces crustis crassis obducunt; his decedentibus, ulcuscula subjacentia sese ostendunt; nunc temporis coryza acris humorem fœtidum effundens, labia naresque rodit; infantes diarrhœa tentantur; pyrexia procedente cum pulsu parvo, crebro et abnormi; respiratio strepens et rauca evadit, symptomata vespere adventante ingravescunt et mane remittunt; magna virium prostratio, delirium et coma superveniunt; secundo, tertiove die primo circa faciem, collumque efflorescit cutis, maculis clare rubris, serpentibus, tandem coëuntibus, corpus

corpus totum obducentibus, manibus, extremisque digitis rigentibus et tumidis: eruptio circa diem quartum plerumque disparet, et cuticula desquamatur; pyrexia, eruptione accedente vel decedente, raro imminutâ; morbo procedente putredinis symptomata accedunt, et æger inter diem tertium et septimum e vivis eripitur.

CAUSA.

Contagium.

DIAGNOSIS.

Ab cynanche tonsillari dignoscitur pulsu, deglutitione parum difficili, maculis cinereis et serpentibus, respiratione strepente et febris typo.

PROGNOSIS.

Periculum pyrexiæ violentia et gangrænæ

næ proclivitate est æstimandum; ulcerum livor; spiritus et coryza fœtide olentes; diarrhœa violenta; delirium et coma perdurantia; anxietas permagna et inquietudo, funestum morbi eventum denunciant. Signa fausta sunt, mitior ulcerum species; eruptione prodeunte febris remissio; eâ in squamulas abeunte cum altera remissione; sudores lenes universi; crustis a faucibus delapsis, somno, cibi desiderio et aliis bonis notis redeuntibus.

CURA.

Emetica repetita; laxantia vel enemata lenia, alvo postulante; putredini occurritur cinchona, vino, opio, gargarismatibus antisepticis et stimulantibus præcipue ex capsico annuo vel polygala senega paratis: epispastica invicem excipientia; pediluvia; mundities summa: aëris

aëris puri libera admissio et alia remedia ad typhum graviorem aptata: ulcerum fœtor, injectione frequente sulphatis aluminæ in aqua soluti, amovetur, nempe prioris uncia dimidia ad posterioris libram: An aquæ frigidæ corpori nudato affusio?

CAP. VIII. CYNANCHE TRACHEALIS.

SYMPTOMATA.

Adoritur plerumque infantes lactationis tempore peracto, nonnunquam vero adultos, cum dolore ad partem tracheæ superiorem obtuso, tumore fere nullo in faucibus apparente, supervenit raucedo clangosa, loquelam, tussimve comitans, quasi ex tubo metallico vox prodiret, quæ galli cantui confertur; huic accedit

cedit respirationis difficultas cum inspiratione strepente; tussis brevis, interrupta, plerumque sicca urget, siquando adsit expectoratio, ejicitur materies purulenta fimbriis membranaceis mista, facies livida fit vel rubra, adsunt sitis magna, caloris sensus ingratus et inquietudo; deglutitio parum, minimumve impeditur; in faucibus nihil morbidi ut plurimum conspicitur, aliquando tamen tumor et rubor; urina primo est limpida postea turbida; pulsus frequens est et debilis; synocha: sensibus illæsis fruitur æger, et nonnunquam cum strangulationis in faucibus sensu subito abripitur.

CAUSÆ.

Frigus; atmosphæra frigida et humida; ætas infantilis.

DIA-

DIAGNOSIS.

Peculiari vocis sono et constrictionis circa laryngem sensu facile dignoscetur.

PROGNOSIS.

Respiratio cum strepitu valde difficilis; anxietas magna; pyrexia vehemens; infausta sunt symptomata: membranaceæ materiæ expectoratio, respiratio libera; vox parum mutata, fausta sunt omina.

CURA.

Hirudines quam prope parti affectæ sunt admovendæ; emetica, ad vomitionem, nauseamque ciendum; vesicatoria; rubefacientia; refrigerantia; alvi purgatio lenis; aquæ calidæ vaporis inhalatio; balneum tepidum; antispasmodica præcipue moschus, ferula assæ fœtidæ maxime sunt confidenda. Ubi

hoc

hoc morbo conflictati sunt adulti, sanguinis missio, et alia pro synocha remedia, abjecta procrastinatione, uti sunt. An sub-muriatis hydrargyri grana pauca frequenter? An polygalæ senegæ vel daphnes mezerei decoctum ad vomitionem posteaque nauseam vel alvi lenem purgationem promovendum?

CAP. IX. CYNANCHE PHARYNGÆA.

SYMPTOMATA.

Rubor in imis præsertim faucibus; deglutitio maxime impedita, dolentissima; respiratio satis commoda; febris synocha: easdem causas ut cynanche tonsillaris agnoscit, et eandem medendi rationem postulat.

CAP. X. CYNANCHE PAROTIDÆA.

SYMPTOMATA.

Tumor externus parotidum et maxillarum glandularum magnus, primo in maxillæ inferioris angulum comparens; respiratione et deglutitione parum læsis; febre synocha plerumque leni: faucium tumore recedente, mammæ in fœminis et testes in maribus afficiuntur.

PROGNOSIS.

Pyrexia vehemens vel phrenitis tumoris mammarum vel testium retrocessioni superveniens malum est.

CURA.

In genere solummodo requiritur regimen antiphlogisticum; atsi, mammarum aut testium tumore recedente, augeatur pyrexia cum phrenitidis signis vel

vel stupore, capitis fomenta, vesicatoria, et alia ei affectioni idonea, sunt usurpanda.

CAP. XI. PNEUMONIA.

SXMPTOMATA.

Rigore, horrore, aucto calore, aliisque synochæ signis adoritur; paucis horis elapsis subsequuntur symptomata jam jamque memoranda; dolor lateris acutus, fixus, pungens; (nonnunquam vero obtusus cum ponderis sensu) sæpissime sextam aut septimam costam occupans, quandoque hinc ad scapulas, illinc ad sternum aut claviculas jaculans, respiratio perpetuò difficilis sub inspiratione aucta, sæpe non nisi trunco corporis erecto exercenda; decubitus in latus affectum vel integrum molestus, nonnun-

quam in dorsum commodior; tussis major, minorve ab initio comitatur, primò expectoratio est nulla vel parca, postea materies sputo rejecta colore variat et sæpe sanguine tingitur, facies tumida est et purpurei coloris; anxietas et inquietudo urgent, pulsus fit frequens, plenus, durus atque citatus, nonnunquam vero mollis et debilis: terminatur resolutione, suppuratione, gangræna, effusione vel exudatione ab pleuræ interna superficie. Sub titulo pneumoniæ, complectuntur pleuritis et peripneumonia.

CAUSÆ.

Causæ remotæ sunt anni tempus certum, hyems et ver; temperamentum sanguineum; perspiratio imminuta aut suppressa; ætas inter quadraginta et sexaginta; exercitatio vehemens pulmonum; causæ synocham inducentes; frigoris

goris et caloris vices; morbi priores. Causa proxima est pleuræ vel pulmonum inflammatio.

DIAGNOSIS.

Ab hepatitide dignoscitur difficili in latus affectum decubitu, dolore non pressione aucto; singultu; partis situ.

PROGNOSIS.

Pyrexia vehemens, respiratio valde difficilis; tussis crebra, vehemens, dolores exasperans; dolor ab altero latere in alterum transgressus; anxietas et inquietudo auctæ; delirium; respiratio repente curta et celeris, infausta sunt symptomata. Materiæ subflavæ, spissæ sanguinis aliquantulo tinctæ sine tussi vehementi expectoratio libera; hæmorrhagiæ naribus vel venis hæmorrhoidalibus; diarrhœa biliosa; urina sedimen-

tum deponens, vel eruptio erysipelatosa partes externas occupans, fausta sunt signa.

Suppurationem futuram denunciant inflammationis symptomata perstantia ad diem decimum quartum, sed aliquandiu moderatius; jam factam testantur doloris et sputi remissio, spirandi difficultate manente, horrores leves, febris hectica, tussis et dyspnœa auctæ, decubitus in latus affectum facillimus et ponderis sensus in thorace: effusionis symptomata suffocationem inducentia sunt respiratio subitò abbreviata, accelerata, non nisi trunco corporis erecto exercenda, pulsus debilis et maxime frequens.

CURA.

Sanguinis missio cita, larga, repetita, secundum symptomatum violentiam et ægri

ægri vires, hirudines vel cucurbitulæ cruentæ ad partem affectam sunt admovendæ; epispastica repetita thoraci applicata; laxantia lenia et enemata emollientia; diluentia tepida acido vegetabili gratè reddita; demulcentia mucilaginosa; regimen antiphlogisticum; vomitoria ut tartris antimonii vel ipecacuanha refracta dosi ad nauseam solummodo ciendum; expectorantia; aquæ calidæ vapores ore in pulmones sunt accipiendi; pediluvia. Si tussis urgeat, spirandi difficultate et pyrexia subductis, opiata: ægro magnopere debilitato, guttæ quinque tincturæ opii hora sexta pomeridiana indies summo cum fructu datæ fuerunt: ad effusionem vel empyema digitalis. An hydrargyri preparationes cum opii pauxillo ad salivæ fluxum lenem ciendum?

CAP.

CAP. XII. PERIPNEUMONIA NOTHA.

SYMPTOMATA.

Adsunt frigus, calorque alternatim; lassitudo, tussis humida, muci viscidi, opaci expectoratio, dolores obtusi seu potius ponderis et angustiæ sensus in aliqua thoracis parte, capitis dolor immanis nonnunquam vomitus; dyspnœa; vultus rubescentia, vertigo vel somnolentia; pyrexia plerumque nulla vel mitis.

CAUSÆ.

Anni tempus ver et autumnus; ætas senilis; subitæ cœli mutationes; catarrhi priores.

DIAGNOSIS.

A pneumonia cognoscitur pyrexia miti

vel

vel omnino absente; dolore, calore, sitique minus violentis: ab asthmate dignoscitur, dyspnœa minus vehemente et eâ non per intervalla subeunte.

PROGNOSIS.

Pyrexia vehemens subito invadens maximo periculo stipatur.

CURA.

Venæ sectio plerumque obest, ni dyspnœa et angustiæ sensus urgeant; emetica tali quantitate data ut nausea moveatur; epispastica invicem excipientia thoraci admota; laxantia lenia et enemata; diluentia; expectorantia; balneum tepidum; digitalis?

Carditis, pulsu intermittente, syncope et palpitatione cognoscitur. Diaphragmitis, dolore circa costas inferiores, cinguli

guli instar ventrem supra lumbos ambiente, respiratione maxime difficili, quiescente abdomine, solo thorace peractâ, delirio perpetuo, et risu sardonico, stipatur.

Peritonitis stipatur pyrexia; dolore abdominis corpore erecto aucto, absque propriis aliarum phlegmasiarum abdominalium signis. Hi morbi eandem medendi rationem postulant quæ pneumoniæ est idonea.

CAP. XIII. GASTRITIS.

SYMPTOMATA.

Dolor ardens, fixus, pungens in ipso stomachi loco; ejus exacerbatio in ipso puncto, quo aliquid ei ingeritur, vomitus dolentissimus statim ab omni ingesto,

to, singultus dolorificus, anxietas summa et perpetua circa præcordia, summa virium prostratio, pulsus durus et parvus, sitis magna, febris acuta continua: est ubi urina supprimitur.

CAUSÆ.

Aquæ frigidæ ingurgitatio corpore calefacto; vis externa; acria ingesta; nimia ejus distentio; exanthemata retropulsa.

DIAGNOSIS.

Signa pathognomica sunt epigastrii dolor ardens et tumor; vomitus crucians et eructatio; magna virium prostratio; singultus.

PROGNOSIS.

Si dolor gradatim remittit et pulsus magis plenus et mollis evadit, resolutio est expec-

expectanda; minitatur suppuratio si symptomata per hebdomadam persistere etiamsi mitiora cum rigoribus et doloris remissione, anxietate, sensuque gravativo manente; si, remediis valentissimis in auxilium vocatis, pyrexia, dolor atque calor ingravescant, gangræna est timenda, et gangrænæ inceptæ signa sunt doloris et caloris subita cessatio, regionis epigastricæ flacciditas; pulsus vix numerandus et intermittens; debilitas aucta; delirium.

CURA.

Missio larga, et repetita sanguinis (non nos deterrere pulsus parvus debet) postea hirudines, cucurbitulæ cruentæ et vesicatoria parti affectæ sunt admovendæ; abdominis fomenta; pediluvia; enemata laxantia et emollientia; diluentia blanda parvâ copiâ; dolore et vo-

mitu

mitu per intervalla solummodo redeuntibus, opiata.

Inflammatio Erysipelatosa signis sequentibus stipatur; caloris, dolorisque sensus in ventriculi regione; vomitus; anxietas; anorexia; pyrexia mitis; nonnunquam in faucibus apparet eruptio erysipelatosa quæ sæpe per totum canalem alimentarium est diffusa; eodem tempore omnibus ingestis acribus ventriculo inusitata est sensilitas; diluentia blanda et tepida solummodo postulantur ni altera gastritidis species minitetur: si morbos putridos comitetur, acida, antiseptica, tonica sunt usurpanda: an, omnibus incassum tentatis, balneo frigido, immersio?

CAP. XIV. ENTERITIS.

SYMPTOMATA.

Dolor abdominis acutus, fixus, urens, tactû auctus; tensio perquam molesta præcipue circa umbilicum; nausea; vomitus; sitis magna; alvus pertinaciter astricta; febris acuta; pulsus frequens, durus et contractus; urina valde rubra; nonnunquam singultus.

CAUSÆ.

Easdem agnoscit causas ac gastritis; hernia incarcerata; volvulus; colica; frigus abdomini applicatum.

DIAGNOSIS.

Ab hepatitide dignoscitur doloris absentia ad summum humeri jaculantis: ab gastritide dolore torquente et urente circa

circa umbilicum: ab colica, pyrexia et pulsu.

PROGNOSIS.

Signa fausta sunt, dolores migrantes, sensimque cessantes; venter ad tactum minus dolens; alvus clysmatibus respondens; sudores calidi atque profusi; pulsus plenus et mollis; urinæ turbatæ copiosa demissio. Infausta sunt, ventris tormina sæva; abdomen tensum, tactumque refugiens: alvus pertinaciter clausa; urinæ suppressio; livor circum labia; singultus perpetuus; delirium; subsultus tendinum; convulsiones.

CURA.

Sanguinis missio generalis et topica; laxantia; enemata emollientia; refrigerantia;

gerantia; abdominis fomenta; semicupium; vesicatoria; diluentia blanda: an opiata per anum injecta? an balneum frigidum, rebus ad extremum redactis?

CAP. XV. HEPATITIS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia; hypochondrii dextri ardor, tensio, dolor, sæpe pungens pleuritici instar sæpius obtusus et hypochondrio presso auctus; dolor ad claviculam et summum humeri dextri; decubitus in latus sinistrum difficilis; spirandi difficultas sub inspiratione aucta; tussis fere sicca; anxietas; nausea; vomitus biliosus; alvus plerumque astricta, urina parca, ruberrima; color faciei, oculorumque

lorumque subflavus; pulsus frequens, fortis et durus; singultus: Quando afficitur superficies convexa, dolor magis est lancinans; tensio major percipitur; tumor sæpe observatur; dyspnœa singultuque magis violentis: Quando pars concava afficitur; dolor minus pungens est; respiratio magis libera; sed anxietas, nausea et vomitus magis premunt.

CAUSÆ.

Omnes inflammationem producentes; tubercula schirrosa; hepatis adhæsiones; vis externa; concretiones biliariæ in ductibus biliariis et vesica fellea; affectus animum subito deprimentes; regiones calidæ.

DIAGNOSIS.

Ab pneumonia dignoscitur, dolore minus

nus acuto et eo ad claviculam et summum humeri dextri ascendente; dolore pressu aucto; decubitu in latus sinistrum difficili; bilis vomitu; tussi, dyspnœaque minus violentis: ab splenitide tumoris et doloris situ; ab enteritide doloris torquentis circa umbilicum absentiâ.

PROGNOSIS.

Periculum secundum suppurationi vel gangrænæ proclivitatem dijudicabitur, quarum appropinquatio signis antea recensitis cognoscetur; hæmorrhagiæ naribus vel venis hæmorrhoidalibus; sudores copiosi vel diarrhœa biliosa sæpe morbum fauste solvunt.

CURA.

Sanguinis missio generalis et topica; epispastica parti affectæ; cathartica mitia

tia et enemata; fomenta; diluentia; refrigerantia; tartris antimonii portiunculis ad nauseam ciendum; regimen antiphlogisticum: morbo in suppurationem exeunte, abscessus, si exteriora versus protrudat, cataplasmata et fomenta sunt utenda. In India Orientali curatur acido nitrico, vel hydrargyro interne et externe adhibito, donec excitatur salivatio.

CAP. XVI. HEPATITIS CHRONICA.

CHARACTER.

Hæc sæpe nulla quibus dignoscatur signa præbet, aliquando tamen eandem adesse suspicari potest, ex hepatitidis causis quibusdam prægressis, ex sensu quodam plenitudinis et gravitatis in hypo-

hypochondrio dextro, ex doloribus plus minusve pungentibus in eadem parte subinde perceptis, ex dolore quodam a presso hypochondrio dextro vel a decubitu in latus sinistrum sentito, et denique ex pyrexia leviori cum dictis signis subinde infestante.

CURA.

Hydrargyrus interne et externe est administrandus donec excitatur lenis salivatio, tonicis et amaris conjunctis præcipue cinchona et ferri præparationibus. An acidum nitricum vel nitrosum?

CAP. XVII. SPLENITIS.

CHARACTER.

Pyrexia; hypochondrii sinistri tensio, calor, tumor, et dolor pressu auctus; absque signis nephritidis.

Facile dignoscetur ab ullo alio morbo signis supradictis, et curatur modis sub hepatitide memoratis.

CAP. XVIII. NEPHRITIS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia; dolor acutus, pungens sæpius obtusus in regione renis, sæpe ureteris iter sequens; mictio frequens urinæ vel tenuis decoloris, vel ruberrimæ; vomitus bilis variæ; ructus assiduus; cruris

stupor;

stupor; testiculi ejusdem lateris retractio aut dolor.

CAUSÆ.

Hanc producunt omnes causæ generales inflammationis; diuretica acria; vulnera et contusiones renum; equitatio diuturna et vehemens; fæces induratæ colo; decubitus in dorsum diuturnus; podagra retrocedens vel atonica; calculi.

DIAGNOSIS.

Ab lumbagine dignoscitur mictione frequenti, dolore ureteris iter sequente, et nequaquam aucto truncum erigendo: ab nephritide calculosa, pyrexia dolorem comitante primo ab insultu.

PRO-

PROGNOSIS.

Dolores sensim cessantes; urina copiosa et crassa; sudor calidus per totum corpus diffusus; sanguinis fluxus ab vasis hæmorrhoidalibus faustum morbi eventum denunciant. Dolor in loco pulsans sternutamento auctus; pyrexia aucta; crebrum meiendi desiderium; dysuria; dolor subito cessans; singultus; delirium; infausta sunt signa.

CURA.

Sanguinis missio generalis et localis; laxantia lenia et enemata repetita; demulcentia blanda; rubefacientia; fomenta; semicupium; regimen antiphlogisticum; diaphoretica lenia, e. g. tartris antimonii et similia refracta dosi; pyrexiâ et dolore multum levatis opiata.

CAP.

CAP. XIX. HYSTERITIS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia; hypogastrii calor, tensio, tumor et dolor; os uteri tactui dolens; stranguria; tenesmus; vomitus; alvus primò astricta, postea fusa.

PROGNOSIS.

Magna virium prostratio; vultûs erubescentia; rigores frequentes et abdominis tumor, infausta sunt symptomata: diaphoresis lenis; iochiorum fluxus; abdomen minus tensum et lactis secretio, faustæ sunt notæ.

CURA.

Sanguinis missio generalis et topica; abdominis fomenta; diaphoretica lenia, qualia,

qualia, ipecacuanha vel tartris antimonii opio conjuncta; laxantia lenissima; diluentia blanda; diæta blanda et nutriens.

CAP. XX. CYSTITIS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia; dolor assiduus, ardens, pungens in loco vesicæ; tumor; mictio frequens dolorifica vel ischuria; vomitus; tenesmus.

CAUSÆ.

Omnes inflammationem producentes; calculus; vicinorum inflammatio, etc.

CURA.

Medendi ratio eadem est in hac ut in nephritide; diluentibus parce haustis.

CAP. XXI. RHEUMATISMUS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia; dolores acuti, lancinantes circa articulos, musculorum tractum sequentes, frequenter migrantes, genua et reliquos majores, potius quam pedum vel manuum articulos, infestantes; calore externo, motuve aucti; partis affectæ tumor, rubor et tensio; urina ruberrima; alvus constipata; pulsus frequens, plenus atque durus; sanguis detractus crustam coriaceam exhibens; nocte adventante ingravescunt omnia symptomata.

CAUSÆ.

Plethora; cœli subitæ mutationes; frigus corpori calefacto admotum: ver et autumnus. Causa proxima est membranarum

branarum et expansionum aponeuroticarum tendinum inflammatio.

DIAGNOSIS.

Ab arthritide dignoscetur dolore musculorum tractum sequente et nulla ventriculi affectione antecedente.

PROGNOSIS.

In genere faustè terminatur sudore copioso et universali; urinâ sedimentum lateritium deponente; diarrhœa; hæmorrhagia vel eruptione cutanea.

CURA.

Regimen antiphlogisticum; missio sanguinis generalis et topica; cathartica mitia et enemata; refrigerantia præcipue sales medii; diluentia; diaphoretica, qualia, tartris antimonii, refractâ dosi, aqua acetitis ammoniæ, et pulvis

ipecacuanhæ compositus; rubefacientia et dolore fixo epispastica; venæsectio ne ultra justos limites est instituenda nam tardam efficiet convalescentiam. An digitalis? An cinchona præcipue si sub intermittentis typo compareat morbus, vel post primarum viarum, cum sulphureti antimonii præparationibus, evacuationem?

CAP. XXII. RHEUMATISMUS CHRONICUS.

CHARACTER.

Post rheumatismum, nisum violentum vel subluxationem; dolores artuum vel musculorum, sub motu præsertim aucti, plus minusve fugaces, calore lecti vel alio externo levati; artus debiles, pallidi, rigidi, facilè et sæpe frigescentes;

tes; pyrexia nulla; tumor plerumque nullus.

CAUSÆ.

Rheumatismus acutus prior et plurimæ causæ rheumatismum acutum producentes. Causa proxima est atonia, rigiditas et contractio fibrarum muscularium et vasorum extremorum.

CURA.

Stimulantia interna, qualia, oleum volatile pini purissimum, guaiaci officinalis resina, anthemis pyrethrum, cochlearia armoracia et sinapi; tonica præcipue cinchona; stimulantia externa; frictio; electricitas; exercitatio; balneum calidum; calor externus; rubefacientia; epispastica; diaphoretica ut pulvis ipecacuanhæ et opii; opium et sub-murias hydrargyri, singulorum granum unum

per decem vesperas: hydrargyrus ad solummodo salivationem non excitandum.

CAP. XXIII. PODAGRA.

SYMPTOMATA.

Morbus hæreditarius, oriens sine causa externa evidente, sed præeunte plerumque ventriculi affectione insolita; hora secunda post mediam noctem plerumque invadente cum pollicis pedis vel articuli dolore, quandoque verò calcanei aut tali, ossium luxationem referente, cum sensu quasi aquæ tantum non frigidæ parti affectæ affusæ; mox sequuntur rigor, horror et pyrexia, dolor autem intenditur (rigore atque horrore sensim recedentibus) donec tandem sub noctem sequentem ad apicem pervenerit; tunc gradatim cessat, et æger

æger leni madore perfusus somno concedit, a quo evigilans, partem affectam tumore et rubore occupatam cernit; per dies plures febris, dolorque die advesperascente redeunt, levantur autem sub galli cantu; appetitus prostratus, totius corporis sub vesperam rigor, gravitas et sensatio molesta paroxysmum comitantur. Recedentem paroxysmum excipit pedis affecti pruritus vix ferendus cum cuticulæ desquamatione; morbo jam discesso æger per longum tempus valetudine secundâ fruitur.

CAUSÆ.

Causæ prædisponentes sunt; labes hæreditaria; plethora; vitæ acme, venus immodica: causæ occasionales sunt, usus cibi animalis et conditorum immodicus; vinum aliique liquores spirituosi nimis liberaliter adhibiti; studium

um nimium; vita sedentaria ignava; evacuationes suppressæ; caput magnum; vigilia diuturnior; exercitatio violenta, præcipue ambulatio; frigus extremis inferioribus applicatum.

DIAGNOSIS.

Ab rheumatismo cognoscitur dolore minores articulos aggrediente et ibi manente; si quando transfertur ex uno pedis pollice, alterum aggreditur; partis laborantis tumore et rubore; ventriculi affectione antecedente.

PROGNOSIS.

Hoc malum raro periculum adfert, ni ventriculus, caput et partes vitæ inservientes afficiantur.

CURA.

Venæsectio generalis plerumque obest;

parti

parti affectæ hirudines aliquando pro-
desse possunt, sed optima remedia sunt
anula et patientia, cibo animali et li-
quoribus omnigenis spirituosis absti-
nentia, ni vitæ cursus vel atoniæ signa
aliter postulant: si tumor, rigorque
post paroxysmum permaneant, strigilis
assiduè est utenda. In intervallis, ab
omnigenis liquoribus fermentatis absti-
nentia; exercitatio modica, præcipue
ambulatio vel equitatio; cathartica ex
oleo e seminibus ricini, aloë perfoliata,
rheo palmato, sulphure sublimato, sa-
pone et similibus, parata, ad alvum
astrictam præveniendum: tonica, qua-
sia, cinchona, quassia et ferri præpara-
tiones et sales alkalini: symptomatum
violentiâ imminutâ, opiata. An florente
ætate, viribusque minime labefactis,
prima morbi accessione, sanguinis mis-
sio,

sio, laxantia lenia, emetica, et partis affectæ auræ frigidæ expositio?

CAP. XXIV. PODAGRA ATONICA.

SYMPTOMATA.

Podagra atonica, cum ventriculi vel alius partis internæ atonia, et vel sine expectata aut solita artuum inflammatione, vel cum doloribus artuum lenibus tantum et fugacibus, et cum dyspepsia vel aliis atoniæ symptomatibus, subito sæpe alternantibus; alvo modo astrictâ, modo solutâ cum doloribus colicis; thoracis visceribus nonnunquam affectis, cordis palpitationem, syncopen et asthma producentibus: capite quoque affecto, cephalalgia, vertigo, apoplectici et paralytici affectus producuntur.

CURA.

CURA.

Evitatio studiosa causarum omnium quæ corpus debilitant; exercitatio modica; balneum frigidum si corpus sub ejus usu potenter stimuletur; cibi animalis, vini minime acescentis vel spiritus ardentis aquâ commisti modicus usus; tonica et cathartica modo memoratâ sunt utenda. Dyspepsiæ signa emeticis mitissimis sunt sublevanda: fontanellas inseri et frigus evitari opus est.

CAP. XXV. PODAGRA RETROCEDENS.

SYMPTOMATA.

Inflammatio ad articulos more solito se prodit, sed ad doloris eundem gradum

dum non ascendit nec tempus assuetum perstat nec sensim decedit, sed repentè cessat, excipiente partis internæ cujusdam affectu molesto: inter partes internas nulla frequentius afficitur quam ventriculus, unde anxietas, ægritudo magna, vomitus aut dolor vehemens, frigorisque sensus oriuntur: cor nonnunquam afficitur, unde syncope: interdum pulmones, unde asthma: quandoque caput, unde apoplexia vel paralysis.

CURA.

Si ventriculum afficiat, protinus succurrendum est vino generoso liberaliter dato et aromatibus calefacto; si non satis valida sint, spiritus ardentes, æther sulphuricus, spiritus ammoniæ succinatus et similia sunt usurpari: ubi morbi impetus non valde vehemens est, tinc-

tura

tura ferulæ, assæfœtidæ, carbonas ammoniæ; moschus; confectio opiata etc.: si comitetur vomitus sub initio vino calido primum aquâ commisto dein mero promovendus est, postea opiata: si comitetur diarrhœa jusculum tenue, postea opiata: si pulmones occupet, opiata, antispasmodica, epispastica: quando caput impetit, remedia verisimillima sunt epispastica, kali purum collo admotum foret vel capiti, extremisque partibus, et crurum cum sinapeos pulvere frictio; eodem tempore aromata, carbonas ammoniæ et similia dari possunt.

CAP. XXVI. PODAGRA ABERRANS.

CHARACTER.

Partis internæ inflammatio, vel non

prægressa vel prægressa et subitò recedens artuum inflammatio.

CURA.

In tali casu oportet morbum venæsectione, cæterisque remediis, quæ idiopathicæ ejusdem partis inflammationi conveniunt, tractari.

ORDO III. EXANTHEMATA.

CHARACTER.

MORBI contagiosi, semel plerumque tantum in decursu vitæ aliquem afficientes; cum febre incipientes; definito tempore apparent phlogoses, sæpe plures, exiguæ per cutem sparsæ.

CAP. I. VARIOLÆ BENIGNÆ.

SYMPTOMATA.

Circa meridiem rigore, horrore atque languore invadunt, quos excipiunt calor, dolor capitis dorsi et epigastrii (præcipue digito premente), nausea, vomitus et somnolentia; adveniente cruptione infantes nonnunquam convulsionibus afficiuntur; tertio plerumque die pustulæ quædam discretæ erumpunt primo in facie et serie in totum corpus; symptomata tunc levantur, et quinto die, eruptione finitâ, cessant omnino; pustulæ indies conicæ crescunt, primo subalbidæ tunc flavæ evadunt, interstitia valde rubescunt: intumescit facies et oculi nonnunquam clauduntur, circa diem undecimum magnitudinem summam attingunt et in crustas abeunt:

 faciei

faciei tumor subsidet, manus, pedesque exinde tumescunt. Quando pustulæ non admodum paucæ sunt, deglutiendi difficultas, raucedo et salivatio circa diem sextum vel septimum superveniunt, et febris decimo plerumque die iterum apparet; sed hæc omnia symptomata, cum faciei tumor subsidet et pustulæ arescunt, abeunt omnino.

CAUSA.

Contagium specificum.

DIAGNOSIS.

Dolor epigastrio presso et alia signa, variolas ab aliis morbis dignoscent, et præcipue si epidemicè regnent.

CURA.

Regimen antiphlogisticum stricte est adhibendum,

adhibendum, præcipue aër frigidus et purus libere est admissu; cathartica mercurialia ante diem quintum sunt administranda; aqua frigida et diluentia refrigerantia acidis grate reddita libere: crurum fotus: si urgeat diathesis phlogistica venæsectio et postea vomitorium: si accedant convulsiones, opiata: si eruptione finitâ urgeat pyrexia, cathartica lenia et sulphureti antimonii præparationes ad nauseam movendum uti sunt: si fauces multum tumidæ sint epispastica collo et gargarismata; si magna sit debilitas cinchona, vinum: post diem quintum opiata semel vel bis indies summo cum fructu sunt administrata.

CAP. II. VARIOLÆ MALIGNÆ.

SYMPTOMATA.

In his pyrexia vehemens, vomitusque plerumque perpetuus ante eruptionem urgent, pulsus frequens, debilis, contractus et convulsiones nonnunquam violentæ comitantur; diarrhœa nonnunquam eruptionem præcedit, et ad diem unum alterumve post illam protrahitur; die plerumque secundo pustulæ numerosæ, circumscriptione parum regulares, pallidæ, minime elevatæ et in vesiculas coëuntes sese ostendunt; symptomata post eruptionem præter vomitum omnia manent, in morbi progressu ingravescunt symptomata febrilia et delirium vel coma supervenit; facies immodice tumet, deglutiendi difficultas, faucium molestia et salivatio maxime urgent;

urgent; in infantibus diarrhœa salivationis vicem præstat; pustulæ in maturationem tendentes, plenæ fiunt et flaccidæ, quarum acumina sæpe cavantur, punctaque nigra videntur; in suppurationem veram nunquam procedunt, sed humorem effundunt et in crustas fuscas vel nigras abeunt, foveolis in cute relictis; erysipelas eruptionem sæpe præcedit vel comitatur: in morbo violento petechiæ, urina sanguine tincta et hæmorrhagiæ frequenter videntur.

PROGNOSIS.

Dolor lateris vel ventriculi acutus post eruptionem; tumor faciei repente desidens; pustulæ valde confluentes super faciem et thoracem; deglutiendi vel spirandi maxima difficultas; delirium; petechiæ; magna virium prostratio; hæmor-

hæmorrhagiæ et alia putredinis signa, infaustæ sunt notæ.

CURA.

Vires cinchona, vino, opio, acidis mineralibus, cardiacis et diæta nutriente sunt sustentandæ, et epispastica aliaque remedia typho idonea, libere sunt adhibenda: an, ante pustularum eruptionem, si cutis sit præter naturam calida, cum aliis morbi violenti symptomatibus, aquæ frigidæ corpori nudato affusio? an emetica si minitetur strangulatio?

CAP. III., VARICELLA.

CHARACTER.

Pustulæ post brevem febriculam erumpentes,

pentes, in pustulas variolæ similes, sed vix in suppurationem euntes; post paucos dies in squamulas, nullâ cicatrice plerumque relictâ, desinentes.

DIAGNOSIS.

Ab variolis dignoscitur pyrexia miti, eruptione primò in tergum comparente, et quarto vel quinto die in squamulas abeunte.

CURA.

Hic morbus periculi expers, raro medentis opera indiget; desquamatione finitâ catharsis lenis est propinanda.

CAP. IV. RUBEOLA.

SYMPTOMATA.

Hunc morbum antecedunt pyrexia, rigor, calorque alterni; anorexia, nausea, vomitus sæpe diarrhœa; ab initio tussis plerumque sicca, raucedo, dyspnœa, sternutatio capitis, oculorum gravedo, somnolentia continua, stillicidium humoris acris ex oculis cum tumore, ardore et rubore palpebrarum et coryza comitantur; eruptionem protinus præcedunt anxietas; præcordiorum oppressio et pruritus faciei molestus; quarto plerumque die primum in facie, papulæ exiguæ, rubræ, morsus pulicum reddentes, gradatim coëuntes vix supra cutem eminentes, comparent, et in corpus totum sese serie diffundunt; post sex dies in squamulas furfuraceas minimas abeuntes. Signa (præter vomitionem) eruptione

eruptione ad finem perducta non levantur, sed per totum morbi cursum manent et desquamatione inclinatâ, ingravescunt pyrexia, dyspnœa, tussis, somnolentia aliaque symptomata, et urget plerumque diarrhœa.

CAUSA.

Contagium specificum.

DIAGNOSIS.

Sternutatio; coryza; humoris ex oculis stillicidium; tussis et dyspnœa hunc morbum ab omni alio dignoscent.

PROGNOSIS.

Signa fausta sunt pyrexia, dyspnœaque mites; eruptio maturè apparens, diarrhœa lenis; diaphoresis modica; expectoratio libera atque copiosa. Infausta, sunt, vomitus post eruptionem perseverans;

perseverans; pneumonia diarrhœa symptomatica stipata; lassitudo magna; dolores graves, fixi, eruptionem antecedentes; dolor capitis et oculorum permanens; petechiæ; papulæ subitò retrocedentes, præsertim si hisce succedat pneumonia, cynanche vel delirium.

CURA.

Sanguinis missio generalis et localis, secundum pyrexiæ, tussis et dyspnœæ violentiam, sed raro ante desquamationem postulatur; cathartica, qualia, phosphas sodæ, super-tartris potassæ, cassia senna, tamarindus indica, etc.: enemata laxantia; diaphoretica lenia, e. g. tartris antimonii tali dose ut nauseam moveat; sales medii; diluentia tepida; demulcentia blanda; expectorantia mitia; pediluvia; epispastica lateri et inter scapulas; si non urgeat diathesis phlogistica,

phlogistica, opiata: morbo finito cathartica repetita: si superveniant pneumoniæ signa, venæsectio aliaque remedia ei aptata: si vexet diarrhœa sanguinis missio: si putredinis signa sese ostendant cinchona, vinum, confectio aromatica etc. libere sunt propinanda.

CAP. V. SCARLATINA.

SYMPTOMATA.

Ineunte hieme plerumque se ostendit. cum frigore febrili et aliis synochæ signis, quarto morbi die facies aliquantum tumet; simul in cute passim comparet rubor floridus, maculis amplis tandem coalescentibus, post tres dies in squamulas furfuraceas abiens; superveniente dein sæpe anasarca, cito plerumque decedente.

CURA.

Regimen antiphlogisticum, frigore et calore ex æquo evitatis: desquamatione absolutâ alvi purgatio; si in infantibus superveniant convulsiones vel coma, epispastica, opiata.

CAP. VI. SCARLATINA ANGINOSA.

SYMPTOMATA.

Lassitudo inusitata, animi dejectio, cephalalgia; gutturis angustia; musculorum cervicis rigiditas; horror; rigor, aliaque pyrexiæ signa sese ostendunt; secundo die deglutiendi difficultas, anorexia, nausea sæpe vomitus superveniunt; respiratio fit crebra, suspiriis interrupta; anhelitus est calidus atque

urens;

urens; cutis arida, calida, pungens et inquietudo magna vexant; pulsus frequens, parvus, debilis; alvus nec astricta nec soluta; tonsillæ tument, rubent et nonnunquam crustis albidis obducuntur; tertio plerumque die, rubor floridus pressu evanescens, sed cito rediens in corpus totum comparet; cutis lævis est et tumida; nonnunquam maculæ latæ, lividæ, paucæ circa pectus sese ostendunt; post tres dies cutis desquamatio plerumque accedit, superveniente dein sæpe anasarcâ.

CAUSA.

Contagium.

DIAGNOSIS.

Ab morbillis distinguitur, tussis, coryzæ, epiphoræ et sternutationis absentiâ:

ab variolis dolore epigastrio presso absente.

PROGNOSIS.

Delirium; oculi inflammati et splendidi; efflorescentia cito apparens; diarrhœa; infausta sunt symptomata.

CURA.

Obest plerumque sanguinis missio; emetica repetita summo cum fructu utuntur; cardiaca, e. g. contrayerva, mistura camphorata etc.; diuretica ut carbonas potassæ, carbonas ammoniæ: gargarismata: diaphoretica præcipue tartris antimonii refractâ dosi ad nauseam movendum; pediluvia; balneum tepidum; regimen antiphlogisticum; postea cinchona, ferri præparationes: si permanserit debilitas cum comate, epispastica: ad anasarcam, scilla maritima, sub-mu-

rias

rias hydrargyri, sales alkalini, digitalis; et eâ affectione amotâ, tonica, ut cinchona, vinum, ferri præparationes, diæta nutriens et exercitatio: an aquæ frigidæ corpori nudato affusio? An acida mineralia et vegetabilia diaphoresi leni primo excitata?

CAP. VII. PESTIS.

SYMPTOMATA.

Eodem plerumque modo quo typhus gravior incipit; frigoris paroxysmi gravius ægrum adoriuntur quam in febre continuâ contingit; ingens partium internarum excipit calor; æger torpedine quadam, mentis stupore, aurium tinnitu, capitis gravedine, ebrii instar, afficitur: vultus horrore plenus, oculi rubri, vagi atque prominentes, capitis dolor immanis, vigiliæ, delirium et in-

terdum coma comitantur; ingens supervenit virium prostratio, animi dejectio et solicitudo; præcordia oppressa, respiratio difficilis, nausea perpetua atque vomitus biliosus, dejectiones biliosæ, fœtidæ, miserum torquent: pulsus frequens, debilis, abnormis sæpe tamen magis durus et plenus evadit; sitis immodica est; lingua plerumque albida, haud raro nigra; urina pallida et cruda vel rubra et turbida; aut citius aut serius bubones, (partis pruritu præcedente) vibices, carbunculi atque petechiæ comparent, et æger syncope, tendinum subsultu et convulsionibus tentatur.

CAUSA.

Contagium.

PROGNOSIS.

Signa fausta sunt, ægri vires haud multum depressæ; lenis et universus sudor cum pulsu valido et regulari, anxietatem, nauseam et vomitum tollens; bubonum et carbunculorum eruptio morbi levamine comitata: Infausta sunt; calor immodice intensus; sudores profusi corpus debilitantes; petechiæ nigræ, latæ cito conspicuæ; magna et subita virium prostratio.

CURA.

Venæ sectio caute est celebranda; vomitoria, ad vomitionem semel et postea nauseam ciendum; diluentia; refrigerantia; regimen antiphlogisticum; mundities summa et cubiculi perpetua ventilatio; cinchona, vinum et alia typho graviori idonea; aqua frigida libere est bibenda:

bibenda: corporis totius cum oleo olivæ frictio: an aquæ frigidæ affusio? an hydrargyri præparationes ad salivæ fluxum lenem ciendum?

CAP. VIII. ERYSIPELAS.

SYMPTOMATA.

Pyrexia, somnolentiâ, delirio vel comate, stipata; pulsus frequens, plenus est et durus: secundo, tertiove die comparet eruptio coloris rubicundi, pressione evanescens, ambitus inæqualis, serpens, faciem, collumque operiens; tumor evidens, palpebras nonnunquam occludens, dolor urens, in cuticulæ squamulas, phlyctænas vel vesiculas abiens; faciei inflammatione apparente pyrexia non semper remissionem patitur, sed sæpe cum inflammatione ingravescit et dies octo

octo vel decem durat; palpebræ nonnunquam in suppurationem tendunt; comate et delirio ingravescentibus, æger die septimo, nono vel undecimo mortalitatem explet.

CAUSA.

Sensilitas et irritabilitas auctæ; frigus; acria aliena applicata; evacuationes solitæ suppressæ; erysipelatis priores insultus.

DIAGNOSIS.

Ab scarlatinâ anginosâ, faucium tonsillarumque dolore, rubore et tumore dignoscitur.

PROGNOSIS.

Pyrexia vehemens; coma vel delirium perpetuum infausta sunt signa; sine crisi evidente faustè terminatur morbus.

CURA.

Sanguinis missio si adsit diathesis phlogistica; emetica, ad vomitionem, nauseamque ciendum; regimen antiphlogisticum; diluentia; applicationes topicæ, e. g. avenacea farina; amylum; folia brassicæ etc.: si delirium vel stupor urgeat, capiti fomenta et epispastica: si putredinis sit symptoma, vinum; opium; cinchona; caput erecte est tenendum: an moschus et carbonas ammoniæ largis dosibus si timenda sit gangræna? an cinchona larga dosi omni in morbi stadio?

CAP. IX. MILIARIA.

SYMPTOMATA.

Synochus: dolor plerumque pectoris; anxietas;

anxietas; suspiratio frequens; sudor olidus; punctiones cutis; incerto morbi die erumpunt papulæ rubræ, exiguæ, milii seminis magnitudine per totam cutem, præter faciem, crebræ; quarum apices, post unum vel alterum diem, pustulas minimas, albas, brevi manentes, in squamulas abeuntes, ostendunt.

CAUSÆ.

Debilitas; regimen calidum; puerperium.

DIAGNOSIS.

Ab omnibus aliis exanthematibus sudore olido dignoscetur.

PROGNOSIS.

Petechiæ inter papulas erumpentes; magna debilitas vel putredinis signa; eruptio

eruptio retrocedens, delirio vel comate superveniente infausta sunt signa.

CURA.

Regimen antiphlogisticum præcipue aëris frigidi libera admissio; si debilitas, coma vel putredinis signa concomitantur, cinchona, vinum, opium et epispastica; si adsit diathesis phlogistica venæsectio etc.

CAP. X. URTICARIA.

CHARACTER.

Die secundo rubores maculosi, urticarum puncturas referentes, interdiu fere, evanescentes, vespere cum febre redeuntes, et post paucos dies in squamulas minutissimas abeuntes.

CURA.

CURA.

Regimen antiphlogisticum, medicamentis vix unquam indiget; post desquamationem alvi lenis purgatio.

CAP. XI. PEMPHIGUS.

SYMPTOMATA.

Pyrexïa; primo, secundo, tertiove morbi die, in variis partibus internis et externis pruritu præcedente, erumpunt vesiculæ, humore subflavo plenæ, avellanæ magnitudine, tres quatuorve dies manentes, et tandem ichorem tenuem effundentes.

CURA.

Primæ viæ vomitorio et alvi purgatione sunt evacuandæ; postea tonica; cardiaca; antiseptica; gargarismata.

CAP. XII. APHTHÆ.

CHARACTER.

Lingua tumidiuscula; linguæ et faucium color purpurascens; escharæ in faucibus et ad linguæ margines primum comparentes, os internum totum, nonnunquam etiam canalem alimentarium occupantes, albidæ, aliquando discretæ, sæpe coalescentes, abrasæ cito renascentes, ct incerto tempore manentes, pyrexia plerumque mitis.

CURA.

Absorbentia; laxantia mitia; emetica lenia nonnunquam prosunt; applicationes topicæ, quales, boratis sodæ scrupuli duo aut drachma ad mellis unciam, cujus pauxillum penicillo frequenter

ter est utendum; morbo ingravescente, cardiaca; cinchona; opiata; epispastica.

ORDO IV. HÆMORRHAGIÆ.

CHARACTER.

Pyrexia cum profusione sanguinis absque vi externa; sanguis missus ut in phlegmasiis apparet.

CAP. I. HÆMORRHAGIA.

SYMPTOMATA.

Plura vel pauciora e signis sequentibus sæpissime sanguinis profluvium antecedunt, plenitudo, tensio, ardor vel gravitas partis ipsius vel ejus vicinæ, fri-

goris sensus modo levis, modo gravis accedit, eum concomitantur plus minusve horroris et rigoris, nonnunquam nausea et vomitus; hæc signa sensim decedunt et calor præter naturam auctus excipit, pulsus fit frequens, citatus, plenus, validus atque durus et sanguis prorumpit; sanguis missus ut in phlegmasiis apparet.

CAUSÆ.

Plethora universa; evacuationes solitæ imminutæ vel suppressæ; conformatio partium prava; animi pathemata violenta; calor externus; exercitatio violenta; ligaturæ; omnia quæ circuitionem sanguinis accelerant; frigus externe admotum.

CURA.

CURA.

Regimen antiphlogisticum stricte est administrandum, calor externus præcipue est evitandus; refrigerantia præcipue acida, nitras potassæ et infusum rosæ gallicæ; potus frigidi; sanguinis missio; emetica; epispastica; astringentia præcipue sulphas aluminæ, mimosa catechu, frigus externum: si diathesis phlogistica fuerit sublata, opiata: Reditus ejus, diæta parciore minusque nutriente, exercitatione modica præcipue gestatione, equitatione, navigatione, alvi leni purgatione, caloris externi et causarum remotarum evitatione, æquanimitate, est præcavendus.

CAP. II. EPISTAXIS.

CHARACTER.

Capitis dolor vel gravitas, faciei rubor, narium pruritus, sanguinis profusio e naribus.

CURA.

Quando non crisin indicat, est cohibenda corporis, capitisque situ erecto, narium pressione, capitis immersione in aqua frigida muriate sodæ in eâ soluto; linteolis polline vel sulphate aluminæ sparsis et in nares ingestis; irritationis omnis evitatione: reditui ejus occurritur fontanellis et modis modo memoratis.

CAP.

CAP. III. HÆMOPTYSIS.

CHARACTER.

Genarum rubor; molestiæ aut doloris, et aliquando caloris in pectore, præcipue sub sterno sensus; in ore salis sapor; dyspnœa; faucium titillatio, nonnunquam nausea et vomitus; tussis aut tussicula sanguinem floridum, sæpe spumosum rejiciens.

CAUSÆ.

Causæ prædisponentes sunt, certa ætas, nempe inter decimum sextum et trigesimum quintum annum; temperamentum sanguineum; sensibilitas nimia; excretionum consuetarum suppressio; hæmorrhagiæ priores; labes hæreditaria, quæ, collo longo, procerâ staturâ, thorace plano et angusto, scapulis depressis,

pressis, notatur et omnes causæ remotæ hæmorrhagiæ.

DIAGNOSIS.

Sanguinis profluvium ab faucibus tussi nullâ comitatur: hæmatemesis, vomitu sanguinis nigri, alimentis commisti, dignoscetur, tussi nullâ comitante.

PROGNOSIS.

Prognosis magis fausta, si hæmoptysi cessante, nullus thoracis dolor, dyspnœa vel tussis permaneat: vel si, ab evacuatione suppressâ vel vi externâ sine causis prædisponentibus oriatur.

CURA.

Regimen antiphlogisticum sedulò est usurpandum; venæsectio secundum symptomatum violentiam repetita; cathartica

thartica refrigerantia; epispastica; vomitoria lenia; cochleare muriatis sodæ, astringentia; corporis mentisque quies et alia pro hæmorrhagiis modo memorata: an postea, cinchona, acidum sulphuricum et opium? an corporis, usque ad pubes aquâ frigidâ, immersio?

CAP. IV. PHTHISIS.

SYMPTOMATA.

Plura vel pauciora signa modò memoranda phthisin sæpe antecedunt; pyrexia lenis exercitatione minimâ aucta; manuum volæ ardentes et madoris expertes præsertim die advesperascente: oculi post somnum humidi; urina aucta; cutis arida pedum præcipue aurorâ adventante; genarum erubescentia;

centia; raucedo; dolor pectoris levis vel acutus; dolor lateris fixus vel dolor lateris utriusque lancinans; cephalalgia; animi deliquia crebra; appetitûs defectus; exercitationi vel motui inaptitudo universa; tunc symptomata morbum certum notantia superveniunt, nempe, tussis sicca plus minusve violenta levissimis causis exacerbata; raucedo; præcordiorum gravitas et constrictionis sensus præsertim post motum, in unum magis quam in alterum latus decumbendi difficultas et respiratio leviter molesta; pulsus ab initio frequens, plenus atque durus; respiratio multo citatior quam in salute evadit costis elevatis et sono suspirationem referente perficitur; tussis vespere adventante sensim ingravescit, per noctem ægrè vexat, et muci posteaque puris expectoratio accedit; hæc signa,

lateris

lateris et thoracis doloribus erraticis, lassitudine et animi asperitate stipantur; cibi appetitus imminuitur, et vomitus sæpe post pastum obvenit: Jamque tabescit corpus, sputa copiosiora, purulenta, colore variantia, albentia, flaventia, viridentia nonnunquam sanguine striata cum sapore quasi materiæ putrescentis, rejiciuntur, et hectica justa supervenit, cujus exacerbationes, bis intra viginti quatuor horas, una obscurior meridie circiter, altera sub noctem, præeunte plerumque languoris, frigorisque sensu, accenduntur, hæ accessiones, per aliquot horas, calore et siti auctis, tussi magis molestâ et sputo minus libero, perstant, manè, sudores plus minusve profusi corpus magnopere infirmantes, erumpunt; urina sedimentum leve furfuraceum deponit, et omnia signa aliquid levaminis recipiunt,

recipiunt, cute solummodo arida manente: lingua, faucesque quasi leviter inflammatæ rubent aut aphthis obducuntur; pallor cadaverosus totum vultum præter exiguum circumscriptum genarum spatium occupat; morbo procedente tunica adnata margaritarum colorem refert; diarrhœa colliquans cum sudoribus vices alternans, pedes œdematosi, capilli decidentes, ungues adunci, elata præcordia summam virium defectionem demonstrant, et mors amica scenam claudit.

CAUSÆ.

Causæ prædisponentes sunt, labes hæreditaria; conformatio thoracis prava; cervix longa; humeri elati; thorax angustus; temperamentum sanguineum; scrofula; sensibilitas nimia; rubeola;

rubeola; eruptiones retropulsæ; evacuationes immodicæ; nimia sanguinis oxygenatio; extranea in pulmones accepta: Causæ occasionales sunt, hæmoptysis, catarrhus, asthma, pneumonia, tubercula, contagium.

PROGNOSIS.

In phthisi incipiente anceps est prognosis; ex febris hecticæ violentiâ, debilitate, sputi naturâ, aliisque signis plus minusve violentis, eventûs judicium est trahendum.

CURA.

Sanguinis missio secundum ægri vires in primo stadio; diæta ex lacte vel vegetabilibus confecta; emetica ex ipecacuanha et sulphate zinci in omni morbi stadio; regimen antiphlogisticum; epispastica; setacea; nitras potassæ in dosi decem vel quindecim granorum; ambulatio in aëre frigido et sic-

co: in stadio secundo diæta cardiaca foret et stimulans, præcipue ex lichene islandico, piscibus testaceis et similibus: digitalis; exercitatio, præcipue navigatio, equitatio; climatis mutatio; locorum arctorum evitatio, etc. ætheris sulphurici et conii maculati vaporis inhalatio; aëra arte facta: in stadio tertio balsama naturalia, acida mineralia, aqua super-carbonatis potassæ vel sodæ, opiata, et alia supra recensita: an cinchona? an solutio muriatis calcis? an digitalis et hydrargyri præparationes in dosi adeo ad modum refracta, ut primo arteriarum pulsus citati minuantur, et postea systema hydrargyro leniter affectum reddatur?

CAP. V. HÆMORRHOIS.

SYMPTOMATA.

Capitis gravitas vel dolor, vertigo, nausea,

sca, lumborum anique dolor; circa anum tubercula livida dolentia, e quibus plerumque profluit sanguis, qui, aliquando etiam, nullo tumore apparente, ex ano stillat, alvus plerumque astricta, pyrexia.

CAUSÆ.

Ætas provecta; plethora; alvi duritics; cibus et potus immodice sumpti, arthritis; obstructio hepatica; prolapsus ani; usus purgantium immodicus; quæcunque reditum sanguinis venosi impediunt; recti relaxatio et ejus venarum torpor.

CURA.

Si dolor sit immanis et partes multum tumefactæ, hirudines parti affectæ sunt admovendæ, et fomenta sunt utenda; alvus astricta laxantibus est amovenda,

 quorum

quorum optima sunt sulphur sublimatum, oleum e seminibus ricini, super-tartris potassæ, copaiferæ officinalis resina liquida, electuarium cassiæ sennæ, et similia: astringentia externa, qualia quercus cerris, cortex quercus, frigida lavatio: astringentia interna: si ab ani prolapsu ortum traheret, rectum quam primum in suum locum arte est restituendum, et reditui ejus occurrendum remediis causæ ejus idoneis: plethora modis sub hæmorrhagia memoratis est amovenda, et causæ remotæ sunt evitandæ.

CAP. VI. MENORRHAGIA.

SYMPTOMATA.

Dorsi, lumborum, ventris, parturientium instar, dolores; menstruorum copiosior

piosior vel sanguinis e vagina præter ordinem fluxus, pyrexiâ, dyspnœâ, capitisque dolore, comitatus, systema totum infirmans.

CAUSÆ.

Plethora, liquores spirituosi, victus lautior; exercitium nimium; ictus abdomini inferiori illati, ejusve contusiones; nisus violenti; animi pathemata violenta; systematis laxitas et debilitas; venus immodica; abortus crebrior; partus difficilis; alvi durities; frigus pedibus admotum; theæ usus immoderatior: Causa proxima est, uteri vasorum aucta actio, eorum laxitas et ruptura.

PROGNOSIS.

Copia sanguinis larga subito effusa; sudores frigidi et convulsiones magnum periculum imminent.

CURA.

Si symptomata adsint phlogistica, venæsectio; regimen antiphlogisticum, præcipue corporis mentisque quies, et caloris evitatio; diæta parca; laxantia lenissima; enemata; refrigerantia; lectus minus mollis foret et stragulis levioribus opertus; astringentia interna, ut acetis plumbi, sulphas aluminæ, kino, mimosa catechu, cinchona, infusum rosæ: externa, ut lintea aquâ gelidâ et acido acetoso vel quercus decocto forti madefacta, pudendis et dorso applicanda: sedativa astringentibus conjunctis; abdomini epispastica: In intervallis causæ remotæ sunt evitandæ, et tonica, qualia cinchona, ferri præparationes, exercitatio modica et balneum frigidum sunt utenda.

CAP.

CAP. VII. LEUCORRHŒA.

SYMPTOMATA.

Materiei colore variantis e vagina, sine uteri topicâ affectione fluxus, coxis et dorso dolore continuo stipatus, menorrhagia conjunctus vel mox secutus, systema totum, præsertim ventriculi functiones debilitans; pyrexiâ, dyspnœâ, et palpebrarum tumore nonnunquam concomitantibus.

CAUSÆ.

Causæ sunt partus frequens sine infantis lactatione; partus difficiles; menorrhagia, et omnes causæ eam producentes.

CURA.

Astringentia, qualia hæmatoxylum campechianum et alia supra recensita; injectiones

jectiones astringentes in vaginam immissæ; stimulantia, ut melöe vesicatorius, oleum volatile pini purissimum, copaiferæ officinalis resina liquida, etc: tonica, præcipue cinchona, ferri præparationes, sulphas zinci, et balneum frigidum; rhei palmati pauca grana cum opii grano uno omni nocte per plures menses; emplastrum picis burgundicæ compositum lumbis admotum foret, et indusium laneum induere convenit.

CAP. VIII. AMENORRHŒA.

SYMPTOMATA.

Dyspepsia; cibi desiderium aut imminuitur vel absurdum est; cutis pallor vel decoloratio; oculi subsedisse videntur et circulo livente circumdantur; labia rubedinem amabilem perdunt; venæ minus plenæ apparent; corporis tumor

tumor mollis; asthenia; respiratio citata præcipue post motum; lumborum, coxarum, nonnunquam etiam capitis dolor; palpitatio; syncope; menstruorum retentio: Chlorosis auctorum.

CAUSÆ.

Uteri vasorum actio infirmata ab systematis debilitate et laxitate orta.

CURA.

Systematis tonus est restaurandus exercitatione omnigenâ; balneo frigido; tonicis, præcipue ferri præparationibus, myrrhâ, carbonate potassæ, et aromatibus conjunctis; vasorum uteri excitanda est actio catharticis, nempe alöe perfoliatâ, sub-muriate hydrargyri et similibus; ambulatione; saltatione; frictione; pediluviis; fomentis tepidis regionis hypogastricæ; ictu electrico; ar-

teriæ iliacæ compressione, et præ omnibus nuptiis: an gas oxygenium dilutum? Rubia tinctorum parum mihi efficax esse videtur.

CAP. IX. SUPPRESSIO MENSIUM.

SYMPTOMATA.

Dorsi, lumborumque dolor; dyspepsiæ et hysteriæ symptomata; alvus astricta; dolores colici; hæmorrhagiæ ab variis corporis partibus.

CAUSÆ.

Uteri vasculorum extremorum spasmus sive rigiditas nimia; atonia atque debilitas corporis universi.

CURA.

Si adsit plethora, venæsectio, aliter non; uteri vasorum constrictio est amovenda

venda balneo tepido, fomentis regioni pubis admotis; catharticis, opiatis, antispasmodicis; his nihil valentibus, medicamenta et alia, ad speciem priorem aptata, sunt adhibenda: remedia hæcce plus auxilii adportabunt, si eo tempore quo nisus hæmorrhagicus impendet utantur: Ad dysmenorrhagiam opiata, pediluvia, balneum tepidum et diluentia tepida conducunt.

CAP. X. HÆMATEMESIS.

CHARACTER.

Sanguinis coloris nigri, grumosi, alimentis commisti ex ventriculo vomitu rejectio; nausea; doloris et gravitatis sensu præcedente.

CAUSÆ.

CAUSÆ.

Plethora; evacuationes sanguinis suppressæ; tumores splenem vel hepar comprimentes; vis externa.

CURA.

Hic morbus plerumque symptomaticus est; si hæmorrhagia sit violenta, et plethora adsit, venæsectio et alia hæmorrhagiis idonea sunt usurpanda: in genere astringentia et tonica, qualia cinchona, ferri præparationes et opium, conducunt: si ab evacuationibus suppressis oriatur, hæ sunt restaurandæ: si ab tumoribus splenem vel hepar comprimentibus, hydrargyrus, etc. conium maculatum.

CAP.

CAP. XI. HÆMATURIA.

CHARACTER.

Plerumque morbus est symptomaticus, a calculo renem lacerante, hæmorrhoidibus suppressis, vel sanguine in putredinem vergente, oriens.

CURA.

Si ab calculo oriatur, enemata laxantia, regimen antiphlogisticum, demulcentia, et aqua super-carbonatis potassæ vel sodæ sunt utenda: si ab hæmorrhoidum suppressione, remedia ei aptata sunt utenda: si ab putredine, antiseptica: Linteum in ægri urina immersum colore rubro tingetur.

ORDO V. PROFLUVIA.

CHARACTER.

Pyrexia cum excretione aucta, naturaliter non sanguinea.

CAP. I. CATARRHUS.

SYMPTOMATA.

Pyrexias æpe contagiosa ; capitis gravitas vel dolor ; nares farctæ aëris aditum impedientes ; muci ex glandulis membranæ narium, faucium, vel bronchiarum excretio aucta ; nonnunquam sternutatio et oculorum quasi distentio : lachrymarum fluxus ; faucium rubedo, calor atque tumor ; tracheæ asperitas ; raucedo ; angustiæ in thorace sensus ; dyspnœa ; tussis molesta primo sicca postea mucum copiose ejiciens.

CAUSÆ.

CAUSÆ.

Causæ remotæ sunt frigus corpori admotum, et nonnunquam contagium: Causa proxima est, humorum ad glandulas mucosas narium, faucium, et bronchiarum affluxus auctus, statu inflammatorio stipatus.

PROGNOSIS.

Catarrhus maxima ex parte periculi expers, sed in senibus peripneumoniam notham nonnunquam inducit et in prædispositis phthisin creare videtur.

CURA.

Vix aliud plerumque requiritur, nisi, ab cibo animali abstinentia, diluentia blanda, tepida; sin urgeat diathesis phlogistica, sanguinis missio, regimen antiphlogisticum, laxantia, demulcentia, dia-

phoretica ut pulvis ipecacuanhæ et opii vel tartris antimonii ad nauseam solummodo movendum, expectorantia mitia et epispastica, utenda sint: diathesi phlogisticâ imminutâ, opiata; oleum naso externo est admotu.

CAP. II. DYSENTERIA.

SYMPTOMATA.

Pyrexia contagiosa; nausea; vomitus, intestinorum inflatio, tormina gravia, dejectiones parcæ, frequentes, mucosæ, spumosæ, sebaceæ vel sanguinolentæ et fimbriis membranaceis admixtæ, retentis plerumque fæcibus alvinis, vel massulis stercoris indurati (scybala appellatis) solummodo comparentibus, tenesmus, nonnunquam singultus.

CAUSA.

CAUSA.

Causa remota specificum est contagium, et causa proxima esse videtur coli constrictio spasmodica.

PROGNOSIS.

Tenesmus et tormina valde vehementes; dolor subito cessans cum pulsu debili et intermittente; fæces valde fœtidæ; magna debilitas; petechiæ; singultus, infausta sunt signa: diaphoresis lenis; dejectiones minus frequentes, et vires parum fractæ, fausta sunt signa.

CURA.

Venæsectio si urgeat diathesis phlogistica; emetica, et magis poterint si non tantum vomitum sed alvum quoque moverint; cathartica repetita, præsertim sulphas sodæ, oleum e seminibus ricini,

 phosphas

phosphas sodæ, etc. et omni nocte post catharticorum usum opiata et præ omnibus pulvis ipecacuanhæ et opii, enemata larga ex amylo vel lini seminibus parata; demulcentia mucilaginosa; fomenta; semicupium; epispastica; diæta ex lacte et oryza: quando amoveatur diathesis phlogistica, tonus intestinorum tonicis et astringentibus, ut cinchona, quassia simaruba, quassia, floribus anthemidis nobilis, colomba, gentiana lutea et similibus, est restaurandus: an, morbo inveterato, sub-murias hydrargyri ad salivationem lenem ciendum? an extractum nucis vomicæ in dosi grani et dimidii tertiis horis? Si sub intermittentis typo compareat febris, cinchona est administranda.

NEU-

CLASSIS II. NEUROSES.

CHARACTER.

Sensus et motus læsi sine pyrexia idiopathica, et sine morbo locali.

ORDO I. COMATA.

CHARACTER.

Motus voluntarii imminuti cum sopore sive sensuum feriatione.

CAP. I. APOPLEXIA.

CHARACTER.

Motus voluntarii fere omnes imminuti, cum sopore plus minusve profundo, stertore, faciei tumore et rubore, sup rstite motu cordis et arteriarum; præce-

præcedentibus nonnunquam vertigine, capitis dolore, epistaxi, aurium tinnitu, incubo, caligine, vel stupore.

CAUSÆ.

Causæ prædisponentes sunt, ætas senilis; caput magnum, cervix brevis; obesitas immodica; vita sedentaria ignava; vinum aliique liquores spirituosi nimis liberaliter adhibiti; evacuationes solitæ suppressæ; studium nimium; Causæ occasionales sunt, exercitatio vehemens; pathemata animi violenta; calor externus; compressio colli externa; vis externa; inspiratio plena et longa; nimia vasorum cerebri distentio et eorum laceratio.

DIAGNOSIS.

Ab paralysi, stertore, somno profundo et motuum

motuum omnium voluntariorum immi-nutione dijudicabitur apoplexia.

PROGNOSIS.

Prognosis fausta vel infausta pro acces-sionis gravitate dirigenda erit, nonnun-quam fauste solvitur morbus hæmor-rhagia vel diarrhœa.

CURA.

Sanguinis missio generalis nimis libera plerumque nocet, sed cucurbitulæ cru-entæ occipiti admotæ maxime condu-cunt, capitis fomenta, ictus electrici le-nes per cranium missi; cathartica acria ex cucumere colycinthide, alöe perfolia-ta, extracto convolvuli jalapæ et simili-bus parata; enemata acria; vesicatoria capiti, spinæ dorsi et extremis: cata-plasmata sinapeos; regimen antiphlo-gisticum;

gisticum; capitis positura erecta: Ad reditum ejus præcavendum, causæ excitantes sunt evitandæ et diæta minus foret nutriens; liquoribus spirituosis abstinentia; exercitatio modica; medicamenta leniter alvum subducentia; setacea vel fontanellæ prope caput maxime conducunt; an errhina? an opium? an hydrargyri præparationes ad salivationem lenem ciendum?

CAP. II. PARALYSIS.

SYMPTOMATA.

Motus voluntarii nonnulli tantum imminuti, sæpe cum sopore; pulsus tardus et mollis; alterutro corporis latere plerumque affecto, inde hemiplegia appellato; præeuntibus sæpissime torpore universali, vertigine, capitis gravedine, mentis

mentis hebetudine, oblivione insuetâ, algoris sensu lateris vel partis passuræ, et nonnunquam tremore et dolore.

CAUSÆ.

Cerebri compressio ab effusionibus sanguineis, serosis vel tumoribus; vis nervea imminuta; venena in corpus accepta; colica pictonum; apoplexia et ætas provecta.

DIAGNOSIS.

Ab apoplexia, aliisque morbis pulsu et symptomatibus facile dignoscetur.

PROGNOSIS.

Partis laborantis calor, dolor levis punctorius seu formicationis sensus; pyrexia vel diarrhœa, faustæ sunt notæ.

CURA.

CURA.

Si ab cerebri compressione oriatur, venæ sectio et alia remedia apoplexiæ aptata sunt utenda; quando hemiplegia solummodo manet, utenda sunt stimulantia externa, ut, epispastica, rubefacientia, e. g. tinctura meloës vesicatorii, linimentum ammoniæ, æther sulphuricus etc. frictio; urticatio; electricitas et balneum frigidum: stimulantia interna, ut, anthemis pyrethrum, sinapis alba, cochlearia armoracia, arnica montana, sales volatiles et hydrargyrus; diæta nutriens foret et stimulans; postea aquæ Bathonienses.

ORDO

ORDO II. ADYNAMIÆ.

CHARACTER.

Motus involuntarii, sive vitales, sive naturales imminuti.

CAP. I. SYNCOPE.

SYMPTOMATA.

Motus cordis imminutus vel aliquandiu quiescens, sine causâ manifestâ sæpe rediens, cum cordis palpitatione vehementi in intervallis, ex vitio cordis vel vasorum vicinorum, vel ex systematis totius affectione, oriens, nonnunquam vomitu, convulsionibus vel epilepsia terminatus.

CAUSA.

Causa proxima esse videtur motus imminutus, vel cordis et arteriarum actio quiescens.

CURA.

Stimulantia in paroxysmo ad nares sunt applicanda; postea tonica: si ab causa manifesta oriatur, remedia ei idonea sunt administranda.

CAP. II. DYSPEPSIA.

CHARACTER.

Anorexia, nausea, vomitus, ventriculi inflatio, ructus acidi, ruminatio, cardialgia, gastrodynia, anxietas, languor, animus leniter depressus, pauciora saltem vel

vel plura horum simul concurrentia, plerumque cum alvo astricta, et sine alio vel ventriculi ipsius, vel aliarum partium morbo.

CAUSÆ.

Causæ remotæ sunt duplices, 1. quæ in ventriculum ipsum protinus agunt: 2. quæ in alias corporis partes agunt et dein in ventriculum atoniam diffundunt. Hæ sunt speciei prioris, sedantia seu narcotica, qualia, opium, liquores spirituosi; nicotiana; thea et coffea; acida; aromata; cibus plenior; vomitio nimis crebra; amara; liquores calidi nimis profuse hausti; salivæ excretio nimia. Quæ in alias corporis partes primum agunt, ut, affectus animi violenti, vita sedentaria, studium intensius, venus nimia, tempestas humida et fri-

gida sine exercitatione; inebrietas: Causa proxima est atonia fibrarum ventriculi muscularium et debilitas.

CURA.

Emetica; sales alkalini et absorbentia, præcipue aqua calcis, sapo: cathartica ex aloe perfoliata, rheo palmato vel cassia sennæ aromatibus vel amaris conjunctis; epispastica dorso; postea ad tonum ventriculi restaurandum, tonica, qualia ferri præparationes, quassia, cinchona, colomba et gentiana; quædam symptomata sunt levanda, ventriculi inflatio levatur æthere sulphurico: cardialgia acido sulphurico, sapone, aqua seltzerana vel opio est amovenda: vomitus clysteribus opiatis: anxietas et oppressio post pastum aromatibus ut decem piperis nigri granis statim sumptis: diæta ex cibo animali

animali foret confecta; exercitatio modica et balneum frigidum medelam accelerant: aquæ bathonicæ et aqua ex pino sylvestri parata conducunt; causæ occasionales sunt evitandæ.

CAP. III. HYPOCHONDRIASIS.

CHARACTER.

Dyspepsia cum languore, mœstitia, metu præcipue mortis, morositate, zelotypia, pravisque suspicionibus omnigenis, ex causis non æquis in temperamento melancholico, alvo modo dura modo fusa.

DIAGNOSIS.

Hypochondriasis ab dyspepsia dignoscitur, languore, mortis metu, pravisque

suspicionibus semper præsentibus et signis dyspepsiæ minus violentis vel omnino absentibus; in dyspepsia, signa ejus affectionis majori semper adsunt gradu, et alia supra memorata minus sunt violenta vel omnino absentia; hypochondriasis nunquam in primâ ætate occurrit, circiter vero, vel post annum trigesimum quintum plerumque ingruit.

CURA.

Vesicatorium regioni epigastricæ vel emplastrum picis burgundicæ compositum abdomini est admotu; aquæ bathonicæ; balneum tepidum: sed in hac affectione animi alacritas est sustentanda, consortiâ venustorum atque lepidorum, exercitatione præcipue equitatione, venatione, aucupatione, perpetuâ demigratione, navigatione, oblectamentis

mentis omnigenis et anxietatis impeditione; symptomata dyspepsiæ ab modis modo memoratis sunt levanda: pulveris rhei palmati grana sex et opii granum unum omni nocte, interdiù medicamenta simplicissima sunt utenda.

ORDO III. SPASMI.

CHARACTER.

Musculorum vel fibrarum musculorum motus abnormes.

CAP. I. TETANUS (Trismus).

SYMPTOMATA.

Maxillæ inferioris præcipue, acuta, dolorifica et spastica rigiditas; deglutiendi difficultas, dolor maxime acutus sub cartilagine

cartilagine ensiformi, hinc ad spinam dorsi et illinc ad cervicem et scapulas, jaculans, spasmos ingravescens: quando corpus in posteriora curvatur, opisthotonos appellatur, quando ad anteriora, emprosthotonos.

CAUSÆ.

Causæ sunt frigus et humiditas corpori calefacto admotæ; puncturæ; lacerationes vel læsiones nervorum vel tendinum; operationes variæ chirurgicæ.

PROGNOSIS.

Spasmi violenti et admodum crebri maximum periculum portendunt, morbus sine crisi sensim in salutem terminatur.

CURA.

CURA.

Vinum et opium libere; cinchona; unguento hydrargyri vel ætheris sulphurici et tincturæ opii partibus æquis frictio; electricitas; sed præ omnibus balneum frigidum in convulsionis paroxysmo: in trismo nascentium, qui infantes intra duas primas a nativitate septimanas adoritur, meconium primo est purgandum, tunc oleum succini purissimum moschus, vinum et balneum frigidum utenda sunt.

CAP. II. CHOREA.

CHARACTER.

Impuberes utriusque sexus, ut plurimum intra decimum et decimum quartum ætatis annum adorientes, motus convulsivi ex parte voluntarii, plerumque alterutrius

utrius lateris, in brachiorum et manuum motu, histrionum gesticulationis referentes; in gressu, pedem alterum sæpius trahentes quam attollentes.

CAUSÆ.

Systematis mobilitas et debilitas.

CURA.

Tonica, qualia cinchona, ferri, cupri et zinci præparationes; balneum frigidum; electricitas; cucurbitulæ sine ferro: antispasmodica, ut atropa belladonna, opium, hydrargyrus, succus hyoscyami spissatus, etc. an carbonas potassæ?

CAP. III. EPILEPSIA.

SYMPTOMATA.

Repente plerumque accedit et nonnunquam ægrum dormientem invadit quanquam sæpenumerò ante paroxysmum, languorem universum, lassitudinem, capitis dolorem et vertiginem, persentiscit æger; incipit dein haud rarò paroxysmus sensu frigoris, quasi aura frigida caput versus ascendente, quod quamprimum attigerit, ægrotus, si tunc temporis steterit, concidit, clamorem horrendum edens; sensûs omnigeni expers jacet; musculi corporis totius, potissimum verò faciei, digitorumque violentissime convelluntur; os, oculique distorquentur, materies spumosa ex ore ejicitur; pulsus ab paroxysmi initio celer, exilis vixque percipiendus est, ad

eju

ejus finem, plenior, tardior, debilis tamen evadit; his signis sensim decedentibus, paroxysmus, ægro in soporem illabente, finitur, brevi dein ad sese redit, nihil omnino quod per paroxysmum acciderat, reminiscens; in apoplexiâ frequenter finitur.

CAUSÆ.

Causæ prædisponentes sunt quædam systematis nervosi mobilitas et labes hæreditaria: Causæ excitantes sunt stimuli mechanici; stimuli chemici acres; irritationes mentales præcipue gaudium, ira; irritatio a vasis sanguiferis intra cranium distensis oriunda; vermes; dentitio; variolæ accedente papularum eruptione; quicquid tensionem vasorum cerebri imminuit, hæmorrhagiæ profusæ, terror, horror, odores complures; venena; aura epileptica.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

Ab convulsione omnigena, sopore et impressionum externarum sensu omnino sublatis dignoscetur: ab apoplexia, motibus voluntariis auctis: ab hysteria, globo ad fauces ascendente, cæterisque signis paroxysmum præcedentibus absentibus.

PROGNOSIS.

In epilepsia symptomatica magis fausta quam in idiopathica; in junioribus minus periculosa, quoniam in pueris sub pubertatis tempus, et in puellis mensibus provenientibus decedere plerumque solet; febris intermittens vel eruptio cutanea sæpe morbum fauste solvit.

CURA.

Si sit morbus symptomaticus primò de-

o te gendu

tegendus est, atque remedia ei idonea sunt usurpanda; cum adsit plethora, modis jampridem recensitis, fontanellis et setaceis est amovenda; in paroxysmo, antispasmodica, et stimulantia interna et externa sunt uti: in intervallis tonica, ut cinchona, cupri, zinci et ferri præparationes; nitras argenti; oxidum arsenici; balneum frigidum et exercitatio: antispasmodica, e. g. oleum animale, oleum succini rect.: hydrargyrus, æther sulphuricus, moschus, datura stramonium, digitalis; sed eorum potissimum est opium, quod dari debet per plures menses sæpe indies: si omnibus frustra tentatis, diæta, ratio vitæ et regio prorsus sunt immutandæ.

CAP.

CAP. IV. PALPITATIO.

CHARACTER.

Motus cordis vehemens, abnormis.

CAUSÆ.

Cordis vel vasorum vicinorum vitium, plethora, debilitas vel systematis mobilitas.

CURA.

Hujus affectionis medela ab causis excitantibus quæ evitari debent est petenda; si ab plethora vel debilitate oriatur, remedia iis aptata uti sunt.

CAP. V. ASTHMA.

SYMPTOMATA.

Adveniente hora prima vel secunda matutina incipit paroxysmus cum an-

gustiæ in pectore sensu, spiritus ægre trahitur cum sibilo glottidis strepente, e lecto surgere, ad erectam corporis posituram confugere, cogitur; majore aëris quantitate eget, vox imbecillis efficitur et loquelæ exercitium magis minusve injucundum est, sudor frigidus circa faciem et pectus erumpit, tussis quæ sub paroxysmi initio difficilis erat vel nulla, aurorâ appropinquante, libera, cum sputo muci sæpe copioso evadit, tunc sublevantur symptomata, sed per aliquot dies seu potius noctes die advesperascente exacerbantur, postea pro tempore cessant omnino; pulsus plerumque celer, debilis, parvus, et urina antea pallida sedimentum deponit: sæpe paroxysmum præcedunt lassitudo, torpor, somnolentia, ventriculi inflatio, ructus crebri, gravitas atque capitis dolor.

CAUSÆ.

CAUSÆ.

Atmosphæra humida, frigida, nebulosa; repentinæ tempestatis vicissitudines; podagra retrocedens; febres præcipue intermittentes; evacuationes solitæ repente repressæ; labes hæreditaria. Causa proxima pendere videtur a spasmodica fibrarum muscularium bronchiorum constrictione.

DIAGNOSIS.

Ab signis supra recensitis cognoscetur asthma.

PROGNOSIS.

Ætas juvenilis medici conatibus plurimum favet; sæpe phthisi vel hydrothorace terminatur; respiratio abbreviata et brachiorum paralysis infausta sunt omina.

CURA.

In paroxysmo, sanguinis missio, ni adsit diathesis phlogistica, plerumque nocet; emetica lenia multum prosunt, nec non vesicatoria repetita pectori imposita; clysteres lenes; balneum tepidum; antispasmodica, præsertim opium, æther sulphuricus et ferula assæ fœtidæ: expectorantia, ut, scilla, tartris antimonii, physeteris macrocephali materia in cranio reperta, etc. Reditui obviam itur, loci vel climatis mutatione, cibo nutriente, blando et ab omni flatulentia immuni; exercitatione; causarum excitantium evitatione; fontanellis; tonicis, e. g. cinchonâ, ferri præparationibus: an digitalis?

CAP. VI. PERTUSSIS.

SYMPTOMATA.

Morbus contagiosus; tussis convulsiva, strangulans cum inspiratione sonora, (vulgari nomine the Kink insignita) iterata, paroxysmo, muci quantitate e pulmonibus, faucibus et naribus, rejecta, finito, et per intervalla admodum variantia, iterum renovato, pyrexia nonnunquam comitante.

CAUSA.

Contagium.

PROGNOSIS.

Infantibus duobus annis minoribus gravior est morbus; respiratio valde difficilis; pyrexia acuta præcipue si signis pneumoniæ fuerit conjuncta, infaustæ sunt

sunt notæ: expectoratio modica; cibi appetentia nunquam prostrata sed post vomitum renovata, et epistaxis mitis fausta sunt omina.

CURA.

Sanguinis missio aut generalis aut localis si dyspnœa vel pyrexia urgeat: emetica, ad plenam vomitionem, nauseamque ciendum: vesicatoria thoraci admota; balneum tepidum; vapores aquæ ferventis in pulmones accepti; antispasmodica, ut opium, castoreum, moschus, ferula assæ fœtidæ, oleum succini; sed præ omnibus tinctura meloës vesicatorii ad lenem dysuriam inducendum: tonica ut cinchona, oxidum zinci: solutio oxidi arsenici fowleriana; tinctura digitalis; aëris mutatio: durante morbo alvus leniter soluta foret reddita.

CAP.

CAP. VII. PYROSIS.

CHARACTER.

Epigastrii dolor urens et constrictionis sensus positura erecta auctus, vacuo plerumque ventriculo accedens, cum copia humoris aquei, plerumque insipidi, aliquando acris eructata.

CAUSÆ.

Frigus extremis admotum et animi pathemata violenta.

CURA.

In paroxysmo opium, æther sulphuricus, aliaque antispasmodica sunt administranda, postea nux vomica.

CAP. VIII. COLICA.

SYMPTOMATA.

Dolor abdominis, præcipue circa umbilicum torquens, ejus retractio versus spinam; musculorum abdominis spasmi, plurima quasi tubercula ad tactum sacci pomis referti instar, efficientes; vomitus; alvus astricta; pyrexia nulla: quando peristalticus intestinorum motus invertitur, Ileus appellatur.

CAUSÆ.

Causæ remotæ sunt frigus, fæces induratæ; bilis acris; concretiones calcareæ; venena in corpus recepta, præcipue plumbum; flatus. Causa proxima esse videtur spastica alicujus intestinorum partis contractio.

DIA-

DIAGNOSIS.

Ab enteritide dignoscitur dolore torquente, umbilici retractione, pulsu, pyrexiæ absentia et dolore pressu imminuto : ab hepatitide et nephritide signis aliubi recensitis et pyrexia absente.

PROGNOSIS.

Dolor migrans sensimque cessans, et alvus catharticis respondens fausta sunt signa : dolor fixus, violentus, vel eo subito cessante, alvus pertinaciter astricta, singultus, delirium, infaustæ sunt notæ.

CURA.

Venæsectio, si adsit diathesis phlogistica secundum pulsus statum et ægri vires, repetita, ni adsit magna debilitas :

tas: antispasmodica, ut opium, hyoscyamus, semicupium, abdominis fomenta vel vesicæ aquâ calidâ refertæ abdomini admotæ, epispastica: cathartica lenia, ut sulphas potassæ vel sodæ, super-tartris potassæ, infusum cassiæ sennæ, oleum ricini, et iis nihil valentibus, convolvulus jalapa, sub-murias hydrargyri vel cucumis colocynthis; enemata primò lenia, postea ex pini laricis resina liquida, fumis vel infuso nicotianæ parata; his omnibus incassum tentatis, aqua frigida nudis femoribus et cruribus est affundenda, vel hydrargyrus ore est datu, vel aqua calida manu largâ in anum est immittenda: si ab flatu oriatur antispasmodica.

Colica Pictonum cognoscitur præeunte ponderis vel molestiæ in abdomine, præcipue circa umbilicum, sensu;

su; accedente dolore colico, primum levi, non continuo, et præcipue póst pastum aucto, tandem graviori et fere perpetuo, cum dolore brachiorum et dorsi in paralysin demum abeunte: Curatur hæc affectio hydrargyri præparationibus tali quantitate datis opio conjuncto ad lenem salivationem ciendum; catharticis lenibus modo memoratis; balneo tepido et aliis supra recensitis: venæsectio summo periculo stipatur: ad paralysin aquæ Bathonicæ.

CAP. IX. CHOLERA.

SYMPTOMATA.

Humoris biliosi vomitus, ejusdem simul dejectio frequens, anxietas, tormina, magna virium prostratio; pulsus celer, exilis, frequens; surarum

spasmata, mense Augusti plerumque grassans; intra viginti quatuor horas sæpe jugulat.

CAUSÆ.

Causæ remotæ sunt æstas calida; acria ingesta; crapula; fructus immaturus nimis libere sumptus; miasmata ex paludibus orta; bilis acris. Causa proxima est duodeni intestini constrictio spastica.

PROGNOSIS.

Somnus vomitu cessante accedens aut morbus ad diem septimum excurrens, fausta sunt indicia; rejecta admodum nigra; sitis, calorque vehementes, pulsus valde debilis et intermittens, singultus, syncope, convulsiones, infausta sunt signa.

CURA.

Diluentia ex aqua tepida vel jusculo pullino libere sunt adhibenda et in alvum immittenda; postea antispasmodica præcipue opium internè et in clysteribus; si surarum spasmata urgeant enemata anodyna et surarum cum camphora oleo soluta frictio: morbo profligato tonica; antispasmodica; nutrientia.

CAP. X. DIARRHŒA.

CHARACTER.

Dejectio frequens fæcum naturalium, muci, humoris lactei vel ingestorum parum mutatorum cum torminibus, nausea et vomitu; morbus non contagiosus,

giosus, pyrexia nulla primaria et sine tenesmo.

CAUSÆ.

Causæ remotæ sunt, frigus pedibus applicatum; vasorum intestinorum absorbentium actio imminuta; crapula; acria ingesta; perspiratio subito repressa; effluvia putrida; fruges nimis libere sumptæ; intestinorum tunicarum inflammatio erythematica; vermes; arthritis retrocedens et rheumatismus. Causa proxima est intestinorum motus peristalticus auctus.

DIAGNOSIS.

Diarrhœa, ab omni alio morbo signis jam nunc descriptis facile cognoscetur.

CURA.

Emetica repetita et postea dosi refrac-

ta,

ta, ad nauseam movendum; diluentia; demulcentia, qualia thea ex seminibus lini parata, decoctum hordei, decoctum cornu cervi, etc. opiata: astringentia ut kino, sulphas aluminæ, mimosa catechu, extractum hæmatoxyli campechiani, et similia: tonica ut cinchona, angusturæ cortex, cascarilla, etc. absorbentia: diæta præcipue ex carne assa vel jusculis: diarrhœa, typhum graviorem et podagram retrocedentem comitans, remediis idoneis aliubi recensitis est amovenda.

CAP. XI. DIABETES.

SYMPTOMATA.

Urinæ copia magnopere aucta, primò insipida, postea saporis mellei et coloris subviridis ingestorum pondus æquans vel superans; sitis perpetua; ap-

 petitus

petitus nonnunquam vorax; muci expuitio perpetua, fauces aridæ; cutis arida plerumque squamosa; pedum et talorum œdema; cutis calor urens levissimo sine sudore; pyrexia hectica.

CAUSÆ.

Causæ sunt omnes systema infirmantes; liquores spirituosi nimis libere sumti; frigus corpori admotum; venus immodica; diuretica nimis acria; evacuationes immodicæ; morbi prægressi. Causa proxima esse videtur, status ventriculi morbosus potestates naturales digestionis et assimilationis impediens.

CURA.

Diæta ex cibo animali pingui, vegetabilibus ex toto evitatis; emetica: diaphoretica

phoretica præcipue pulvis ipecacuanhæ et opii; sales alkalini; hydro-sulphuretum ammoniæ; epispastica parva renum regioni; hydrargyri præparationes; camphora; astringentia ut quercus cerris pulvis cum aqua calcis; sulphas aluminæ: tonica; corporis inunctio cum axungia; indusium laneum inducere convenit.

CAP. XII. HYSTERIA.

SYMPTOMATA.

Ventris murmura et inflatio; sensus globi in abdomine se volventis, ad ventriculum et fauces ascendentis, ibique strangulantis; convulsiones, quibus ægræ pectus manu violenter plangunt; sopor; his aliquandiu manentibus,

bus, ægræ lachrymantes, ridentesque vicissim; flatus per ructum e ventriculo expulsus, suspiriis crebris ex imo pectore tractis, quasi e somno excitatæ ægrotæ sensum motumque recuperant; urinæ limpidæ copiâ profusâ sæpe præcedente; animo nec sponte vario et mutabili.

CAUSÆ.

Causæ remotæ sunt systematis nervosi mobilitas et plurimæ epilepsiam producentes. Causa proxima pendere videtur ex affectione uteri spasmodica.

DIAGNOSIS.

Ab epilepsia, urinæ limpidæ copia profusa paroxysmum præcedente; mortis metu, et globo hysterico, dignoscetur.

CURA.

CURA.

In paroxysmo obest venæsectio si morbus diu manserit; sed antispasmodica, qualia, opium, castoreum, camphora, assafœtida internè et per enemata sunt usurpanda; enema ex aqua gelida est immitti; stimulantia naribus sunt admovenda, ut spiritus ammoniæ succinatus, etc.: Reditui ejus occurritur cinchona; ferri præparationibus; antispasmodicis; exercitatione et balneo frigido.

CAP. XIII. HYDROPHOBIA.

SYMPTOMATA.

Incerto post morsum plerumque die circa vulneris oras, rubor, calor, tensio dolens; eodemque tempore circa locum

locum laborantem, dolores vagi atque spasmi sese ostendunt; lassitudine, languore, anxietate, suspiratione frequenti, et solitudinis appetentia corriptur æger et somnia horrifica vexant; his signis durantibus, et per diem unum, alterumve ingravescentibus, potionis cujuslibet utpote convulsionem pharyngis cientis fastidium et horror superveniunt; magna saliva viscidæ copia expuitur, et mordendi cupiditas in paroxysmo accedit.

CURA.

Ad morbum prævenicndum partes morsæ statim vel ante diem quartum sunt extirpandæ, et postea aquâ tepidà salinâ sunt abluendæ, vulnus apertum servari debet applicationibus stimulantibus, ut nitrate argenti vel litu mercuriali.

riali circa partem affectam; salivatio lenis est promovenda; morbo in conspectum jam veniente, vinum, moschus, oleum internè et externè; opium largâ manu; cinchona: unguentum hydrargyri externè est admotu ad salivationem quamprimum ciendum: an balneum frigidum? an oxidum arsenici?

ORDO IV. VESANIÆ.

CHARACTER.

Mentis judicantis functiones læsæ sine pyrexia vel comate.

CAP. I. MELANCHOLIA.

CHARACTER.

Insania partialis chronica, mœsta, meditabunda plerumque alvô astricta et dyspepsiæ

dyspepsiæ signis stipata; delirant melancholici sine furore, et sine febre, de uno potissimum objecto constanter, delirant circa semetipsos, aut suum statum, de reliquis objectis adhuc sat bene ratiocinantes, sese perdendi cupiditate comitante.

CAUSÆ.

Labes hæreditaria: pathemata animi contristantia: evacuationes immoderatæ, ingurgitatio liquorum spirituosorum iterata, et temperamentum melancholicum.

DIAGNOSIS.

Ab hypochondriasi, dyspepsiæ signis sæpe absentibus et delirio melancholico supra memorato, dignoscetur melancholia.

PROGNOSIS.

Si labi hæreditariæ debetur, vel diu perstiteret, difficillime amovetur; nonnunquam fauste solvitur morbus diarrhœâ, hæmorrhagiâ vel eruptione cutaneâ; si æger somno reficiatur, et mens cogitationibus melancholicis averti possit, spes est.

CURA.

In hoc morbo mens ut in hypochondriasi est delectanda ludis, musice, libris, de rebus levibus, jocosisque tractantibus, exercitatione, et cum illis ratiocinatione de rebus iis contrariis quibus agitantur, et omnibus modis ad hypochondriasin aptatis; melancholici nunquam inconitati forent; alvus astricta et dyspepsiæ signa remediis antea re-

censitis sunt amovendæ; diæta foret nutriens et facilis concoctionis.

CAP. II. MANIA.

CHARACTER.

Delirium apyretum circa quævis objecta, cum furore, audacia et robore magno; maniaci habent plerumque lucida intervalla; subin est mania periodica; unde lunatici.

CAUSÆ.

Studium nimis intensum; pathemata animi violenta; frustratio iterata; tumores et exostoses intra cranium; insolatio; profluvia solita suppressa; vini nimius usus; labes hæreditaria; temperamentum sanguineum; melancholia diu perdu-

perdurans: Causa proxima est sensorii excitatio aucta.

DIAGNOSIS.

Ab phrenitide facillime distinguitur mania, namque febre semper caret mania, eâ contra phrenitis semper stipatur.

PROGNOSIS.

Hæmorrhagiæ largæ; diarrhœa vel febris intermittens salutem secum sæpe afferunt.

CURA.

Imprimis necessarium est ut in loco frigidiusculo et tenebroso tutò detineretur, et si morbus non diu manserit sanguis libere et cito est detrahendus, aliter non; catharticis lenibus indies solicitanda est alvus; emetica repetita sunt

 admini-

administranda; opium, camphora, digitalis, larga manu sunt dari: applicationes frigidæ et vesicatoria capiti raso sunt admovendæ; gratiolæ pulveris grana decem mane et vespere; sed præ omnibus in paroxysmi violentia balneum frigidum.

CACHEXIÆ.

CLASSIS III. CACHEXIÆ.

CHARACTER.

Totius vel magnæ partis corporis habitus depravatus; sine pyrexia primaria vel neurosi.

ORDO I. MARCORES.

CHARACTER.

Corporis totius macies.

CAP. I. TABES.

CHARACTER.

Corporis totius macies et debilitas gradaria, pyrexia hectica, plerumque affectio symptomatica.

CURA.

Morbus primarius primo est investigandus, et remedia ei idonea sunt administranda; si ab glandularum mesentericarum obstructione oriatur, hydrargyri præparationes sunt utendæ donec tumor abdominis et durities subsident; postea ferri præparationes, colomba, cinchona.

CAP. II. ATROPHIA LACTANTIUM.

SYMPTOMATA.

Corporis macies et debilitas cum rubedine genarum circumscripta, doloribus in aliqua thoracis parte vagis, tussi, dyspnœa, pulsu solito frequentiori et aliquantulum duro comitantibus, pyrexia hectica tandem superveniente.

CAUSÆ.

Debilitas systematis a nutritio defici-ente; et thea nimis libere sumpta.

CURA.

Imprimis infans e lacte est depellendus; si dyspnœa, tussis vel thoracis dolor pre-mant, sanguinis missio parca, generalis vel topica multum conducet; epispas-tica invicem excipientia thoraci admo-ta; laxantia lenia; demulcentia; diæta ex lacte, farinaceis vel jusculis: atsi de-bilitate sola oriatur tonica sunt utenda, ut ferri præparationes, cinchona, acida mineralia, diæta nutriens, etc.

ORDO

ORDO II. INTUMESCENTIÆ.

CHARACTER.

Totum vel magna corporis pars extrorsum tumens.

FLATUOSÆ.

CAP. I. EMPHYSEMA.

CHARACTER.

Corporis intumescentia tensa, elastica, sub manu crepitans, nonnunquam magna spirandi difficultate et anxietate stipata.

CAUSA.

Sine causa manifesta frequenter oritur emphysema, sed plerumque thoracis vulnera id inducunt.

CURA.

CURA.

Tela cellulosa est scarificanda et aër digitis est expellendus; si dyspnœa urgeat, venæsectio et laxantia sunt usurpari.

CAP. II. TYMPANITES.

SYMPTOMATA.

Abdominis intumescentia tensa, elastica, sonora, nequaquam fluctuosa, in quocunque corporis situ formam molemque servans; alvus astricta; cæterarum partium macies; morbo violento stranguria vel ischuria superveniente; pyrexia; præcedunt nonnunquam borborygmi, ventriculi et intestinorum inflatio et ructus.

DIAGNOSIS.

Ab ascite dignoscitur intumescentia elastica et sonora fluctuatione absente.

CURA.

Enemata et cathartica laxantia; antispasmodica qualia opium, oleum volatile pimpinellæ anisi et similia, tonicis et aromatibus conjunctis; nivis abdomini applicatio: acidum sulphuricum ad alimentorum effervescentiam cohibendum; abdominis fasciâ circumvolutio; fistula pro enemate in rectum est immittenda, ibi per tempus relinquenda, iteranda; abdominis frictio linimento ammoniæ.

AQUOSÆ SIVE HYDROPES.

CAP. III. ANASARCA.

SYMPTOMATA.

Corporis totius sed primo pedum atque talorum intumescentia mollis inelastica, advesperascente primo insultu comparens, digiti impressi vestigium aliquandiu retinens; cutis pallor; sitis magna; urinæ copia multum imminuta, subrubra; dyspnœa et cutis arida.

CAUSÆ.

Causæ remotæ sunt systematis debilitas liquorum spirituosorum ingurgitatione inducta: obstructiones in pulmonibus, corde et hepate; nimia fluidorum ingurgitatio; evacuationes immodicæ; hæmorrhoidum fluxus obstructus; inflammatio interna; ductus thoracici, lymphaticorum,

ticorum, ureterum vel vesicæ ruptura ascitem inducens: Causa proxima constat ex fluidorum effusione acuta, absorptione imminuta vel ambobus.

PROGNOSIS.

Si nulla viscerum obstructorum sint signa; si urina non multum imminuatur; si sitis minus urgeat, viribus eodem tempore illibatis, faustum dare judicium licet.

CURA.

Aqua collecta puncturis parvis vel fontanellis est exhaurienda; fasciæ extremis sunt admovendæ; crurum frictio præcipue mane; emetica repetita; cathartica, cujusmodi sunt, gambogia, convolvulus jalapa, cucumis colocynthis, submurias hydrargyri, bryonia, gratiola, super-tartris potassæ, et succus spissatus momordicæ elaterii, sed super tartris

potassæ

potassæ primarium locum possident, si ad quantitatem unciæ omni vel alterno mane in aqua satis larga soluti dentur: diaphoretica, ut tartris antimonii vel pulvis ipecacuanhæ et opii: diuretica, ut colchicum, scilla, acetis potassæ, tinctura meloës vesicatorii, succus cinaræ spissatus, et digitalis: his omnibus frustra tentatis, salivatio lenis ope hydrargyri est promovenda; tonus systematis restituitur exercitatione et tonicis, ut cinchona, quassia, ferri præparationibus et balneo frigido: si pulsus plenus, durus et tensus evadat, venæsectio multum prodest.

CAP. IV. HYDROCEPHALUS.

SYMPTOMATA.

Inter morbi initia languet æger; nausea sæpe vomitu una vel altera vice quotidie tentatur: capitis dolor regionem su,

 perciliarem,

perciliarem, verticem vel cervicem lancinat, nonnunquam cum ventriculi affectionibus alternat; caput aliquando ad unum magis quam alterum latus inclinatur, lumen oculi refugiunt, plorat et vigilat plerumque miser; si adsit somnus, dentibus nonnunquam frendet et nasum digitis carpit, subito perterritus e somno excitatur, alvus plerumque astringitur, et pulsus ab morbi initio frequentior quam in sanis invenitur: signis supra memoratis invalescentibus, strabismus aliquantulus accedit, pupilla paululum dilatatur, vomitio increbrescit, capitis dolor eoúsque intenditur et spirandi difficultas urget, calor corporis, capitis præcipue, augetur, febris nunc instat et sub vespere gravescit, vultus rubedine subinde obducitur; arteriarum pulsus hucusque citatiores, jam tardiores, inæquales et intermittentes

evadunt,

evadunt, dolor aliquantulum mitescere videtur, et sopore vigiliam stadii prioris excipiente in coma tandem incidit æger, manibus capiti sæpe admotis; strabismus augetur, pupillæ magis dilatantur, et cæcus denique fit omnino, ingesta non amplius vomitu rejiciuntur, alvus manet astricta, nonnunquam tamen hic temporis vermes inferius dejiciuntur: cum per dies quosdam sub hac forma perduraverit morbus, arteriarum pulsus denuo fiunt æquales, adeo autem debiles nec non frequentes ut vix numerari queant; spiritus difficillimè et cum stertore fertur; toto corpore, præcipue in artubus, maculæ rubræ sese ostendunt, et diræ tandem convulsiones miserum e vivis eripiunt.

CAUSA.

Hydrocephali causa esse videtur cerebri alicujus partis inflammatio, effusionem inducens.

DIAGNOSIS.

Cephalalgia cum vomitu; lucis impatientia, et morbo invalescente strabismus, pupillæque dilatatæ, hydrocephalum ab aliis morbis dignoscunt.

PROGNOSIS.

Stupor, oculorum caligo, pulsus debilis et frequens, infausta sunt signa.

CURA.

Sanguinis missio generalis vel topica, repetita, præcipue in morbi primo stadio; cathartica cum sub-muriate hydrargyri

et

et gambogia; litus mercurialis; epispastica invicem excipientia et applicationes frigidæ capiti; errhina, ut subsulphas hydrargyri flavus, proportione grani ad sacchari in pulverem triti grana quindecim, sensim in nares inflatu; ictus electrici lenes ad caput admoti; in secundo et ultimo stadio, cinchona, vinum, opium et digitalis.

CAP. V. HYDROTHORAX.

SYMPTOMATA.

Dyspnœa, pectoris oppressio molesta; faciei pallor; pedum œdemata; urina parca; sitis magna; tussis in initio sicca, postea humida; extrema frigida; brachiorum torpor; decubitus difficilis; subita et spontanea ex somno cum pal-

pitatione excitatio; aqua in pectore fluctuans: si unum latus plus quam alterum afficiatur, ad latus affectum inclinat æger, et brachium ejusdem lateris magis est torpidum.

DIAGNOSIS.

Ab empyemate internoscitur quod in eo inflammatio fuit, febris hectica est, quibus hydrothorax caret.

CURA.

Diuretica, præcipue digitalis et scilla, opio et hydrargyri præparationibus conjunctis; epispastica pectori; fontanellæ, et omnia ad anasarcam aptata: Paracentesis?

CAP.

CAP. VI. ASCITES.

SYMPTOMATA.

Abdominis intumescentia tensa, æqualis, vix elastica, ad ictum fluctuosa: urina parca, admodum rubra; cutis arida; sitis perpetua; alvus pertinaciter astricta; vultus pallidus et tumidus; tussis sicca; dyspnœa; somnolentia; dolor in epigastrii regione lancinans.

DIAGNOSIS.

Ab tympanitide aquæ fluctuantis sensu dignoscitur, ubi venter altera manu pulsatur, altera premitur; in hydrope cystica intumescentia non æqualis est sed circumscripta, et systematis vigor minus est imminutus.

PROGNOSIS.

Vires multum imminutæ; somnolentia; coma; respiratio valde laboriosa; infausta sunt indicia.

CURA.

Emetica, præcipue sulphas cupri; diuretica; cathartica ni alvus sit soluta; abdominis frictio diuturna digitis in oleo primum mersis; paracentesis et alia remedia antea recensita ad hydropem idonea: si ab statu viscerum morboso oriatur, hydrargyri præparationes sunt utendæ: an digitalis?

INTU-

INTUMESCENTIÆ SOLIDÆ.

CAP. VII. RACHITIS.

SYMPTOMATA.

Plerumque inter nonum ætatis mensem, annumque secundum, cum musculorum flacciditate, vultu pallido, tumido, motus et exercitationis aversatione comparet: tunc caput, præcipue sinciput, artusque magnopere tument; sternum acutum et prominens evadit, costæ depressæ, ossa mollita, curvata; abdomen tumidum fit et tensum; alvus soluta; cætera marcescunt; dentes tarde erumpunt, et cito dilabuntur; acumen ingenii præmaturum apparet.

CAUSÆ.

Debilitas; aër humidus et impurus; lac minùs

minùs nutriens; labes hæreditaria; habitus corporis scrofulæ obnoxius. Causa proxima esse videtur materiei osseæ defectus.

CURA.

Emetica lenia; tonica, ut ferri et zinci præparationes rheo palmato conjunctæ; corporis pannis laneis frictio: exercitatio; diæta nutriens; balneum frigidum et aëri sicco expositio. Prophylaxis exercitatione et lavatione frigida est petenda: an balneum tepidum?

ORDO III. IMPETIGINES.

CHARACTER.

Cachexiæ, cutem et externum corpus præcipue deformantes.

CAP.

CAP. I. SCROFULA.

SYMPTOMATA.

Glandularum conglobatarum, præsertim in collo nonnunquam in artubus, tumores, doloris expertes, duri et digito prementi cedentes, tandem in ulcera mali moris, ad sanandum perdifficilia, abeuntes; labium superius et nasi columna tumentes; facies florida; oculi plerumque magni, debiles; cutis lævis; abdomen tumidum; pubertate ineunte frequenter sese abscondit.

CAUSÆ.

Labes hæreditaria; aër impurus, humidus, nebulosus; systematis lymphatici constitutio certa.

CURA.

Ponto immersio vasto: aquæ marina, chalybeatæ, sulphureæ; digitalis; solutio muriatis barytæ; carbonas sodæ cum cinchona forma electuarii, in prioris proportione drachmarum duarum ad posterioris unciam; opium in dosi grani partis quartæ ad dimidiam bis indies; ferri et zinci præparationes: applicationes topicæ, quales aqua marina, acetitis plumbi solutio in proportione unciæ acetitis plumbi ad aquæ libram; cinchonæ pulvis et oxidum plumbi album in prioris drachmarum septem proportione, ad posterioris drachmam; vel oxidum zinci ulcera inspergendum est; cataplasmata ex rumice acetosa confecta ulceribus et tumoribus. Solutio muriatis calcis multum mihi visa est profuisse. An gas oxygenium? an electricitas?

CAP.

CAP. II. SYPHILIS.

CHARACTER.

Morbus contagiosus, post concubitum impurum, oriens, cum circa colis glandem vel pudenda pruritu, quem subsequuntur ulcuscula venerea (chancres appellata), bubones, tonsillarum, faucium, cutisque ulcera, præsertim ad marginem capillitii, papulæ corymbosæ in crustas et in ulcera crustosa abeuntes; ossium præsertim corpore incalescente dolores; nodi, exostoses, etc.

CURA.

Hydrargyrus interne et externe est adhibendus donec sapor metallicus in ore excitatur, vel gingivæ teneræ redduntur, vel salivatio lenis inducitur; ulcera quam primum sunt sananda applicatione ni-

tratis argenti, æruginis pp., unguenti hydrargyri vel nitratis hydrargyri: ad bubones recentes hirudines parti tumefactæ sunt applicandæ et postea vesicatorium; opium, decoctum sarsaparillæ simplex et compositum medelam accelerant; ad tonsillarum ulcerationem, fumigatio cum oxido hydrargyri cinereo, sulphureto hydrargyri rubro, vel gargarismatibus ex muriate hydrargyri paratis: ad verrucas, pulvis sabinæ, murias ammoniæ, tinctura muriatis ferri, etc.: lobelia syphilitica et acidum nitrosum nunc temporis beneficio sæpe utuntur.

CAP. III. GONORRHŒA.

SYMPTOMATA.

Tribus, quatuorve diebus a contagione accepta,

accepta, pruritus insolitus, circa penis glandem, quæ tumida et tensa est, persentitur; os urethræ solito apertius est et tumidum; guttulæ materiei puriformis ex ea exprimi possunt; profluvium magis tenue, quantitate auctum, colore varians et sæpe sanguine tinctum evadit; urina dolore et ardore redditur; morbo ingravescente, penis incurvatio dolorifica vel chordee, phymosis, paraphymosis, hernia humoralis, urethræ strictura, etc. superveniunt.

CURA.

Injectiones ex sulphate zinci, acetite plumbi, et similibus, vel potius ex muriate hydrargyri in proportione grani unius, ad aquæ rosæ uncias octo, sæpe indies sunt utendæ; si adsit inflammatio vehemens, oleum tepidum, mucilago mimosæ niloticæ vel opii solutio est

 injiciendum;

injiciendum; regimen antiphlogisticum stricte est administrandum; venæsectio; enemata emollientia; laxantia; diluentia; applicationes sedativæ parti; sacculussuspensorius per totum morbi decursumuti debet: ad incurvationem penis dolorificam opium interne, vel litus cum unguento ex camphoræ drachmis duabus solutæ spiritus vinosi guttis paucis et axungiæ uncia dimidia confecto: ad herniam humoralem, hirudines parti dolenti, enemata laxantia, balneum tepidum, opiata; cataplasmata emollientia scroto, applicationes sedativæ peni ex acetite plumbi paratæ, et in lecto ægri detentio: si partes duræ remanserint, litus mercurialis, cicuta et decoctum sarsaparillæ compositum utenda sunt: tonus partibus affectis redditur injectionibus astringentibus.

CAP.

CAP. IV. SCORBUTUS.

SYMPTOMATA.

Lassitudo inusitata; motui aversatio; animi dejectio; facies pallida, tumida; magna virium prostratio; animi deliquium post motum; cordis palpitatio; dolores musculorum vagi sæpe sunt morbi prima indicia; sanguis dissolutus e gingivis laxis, spongiosis, promanat; anhelitus gravissime fœtet; gingivæ exulcerantur, dentes nudantur et vacillant; cutis sicca et aspera est in initio, dein maculæ latæ, lividæ præsertim in cruribus et femoribus, rarius in facie, et ulcera in totum corpus sese manifestant; membra tument, dolent, poplitum præsertim tendines rigent, cruraque versus femora retrahunt; in morbo inveterato hæmorrhagiæ ab partibus corporis variis

erumpunt, ab ore, naribus, ano, digitis etiamque extremis; pulsus plerumque debilis est; urina rubra, fœtida et post aliquot horas pelliculâ oleosâ obtecta; lingua fere naturaliter se habet; alvus per totum morbi decursum sæpe pertinaciter astringitur, nonnunquam vero diarrhœa torminibus comitata vexat.

CAUSÆ.

Causæ remotæ sunt victus animalis putrescens, salitus; rei vegetabilis inopia; exercitatio omissa; frigus; humor; affectus animi deprimentes; immundities: Causa proxima esse putatur sanguinis status præternaturaliter salinus.

PROGNOSIS.

Diarrhœa mitis; cutis mollis, humida; æger

æger facilius motum vel exercitationem tolerans, felicem eventum prænunciant.

CURA.

Cibus recens animalis et vegetabilis; fructus horæi, subacidi; potus fermentati, quales succus e pomis expressus; bynes infusum; cerevisia bene lupulata; cerevisia ex abie confecta; munditics summa; stimulantia, ut, cochlearia armoracia, sinapis alba, etc. vinum; ferri præparationes; cinchona; acida mineralia; opium: ad gingivas spongiosas, gargarismata ex aluminis solutione confecta, in proportione sulphatis aluminæ drachmarum quatuor ad aquæ uncias sex; cataplasmata ex oxali acetosella ad ulcera sunt admovenda: nuper nitras potassæ in acido acetoso soluta summo cum fructu usurpatum fuit, in propor-

proportione unciæ dimidiæ nitratis potassæ ad uncias quatuor acidi acetosi, cujus dosis est ab uncia dimidia ad uncias duas, bis, ter, quaterve in die; ulcera solutione sunt lavanda: gas oxygenium.

CAP. V. ELEPHANTIASIS.

CHARACTER.

Morbus contagiosus; cutis crassa, rugosa, aspera, unctuosa, pilis destituta; in extremis artubus tactus imminutus, vel abolitus; facies tuberibus deformis; anhelitus valde fœtidus; vox rauca et nasalis; pulsus tardus et debilis; morbo ingravescente, artus, putredine corrupti, decidunt.

CURA.

Sanguinis missio; cathartica lenia; balneum

neum tepidum; diæta nutriens concoctu facilis; antimonii et hydrargyri præparationes, præcipue murias hydrargyri; oxidum arsenici; tinctura veratri albi; acidum sulphuricum; decoctum guaiaci, sarsaparillæ compositum, et ulmi liberè; tinctura meloës vesicatorii; jus viperinum; cinchona.

CAP. VI. LEPRA.

CHARACTER.

Cutis escharis albis, furfuraceis, rimosis, aspera, aliquando subtus humida, pruriginosa.

CURA.

Fontanellæ; liquoribus fermentatis abstinentia; exercitatio lenis; antimonii præpara-

præparationes; decoctum ulmi et alia remedia supra recensita. An tartris antimonii refracta dosi cum opii quantitate exigua? An acidum nitricum?

CAP. VII. ICTERUS.

SYMPTOMATA.

Hypochondrii dextri dolor obtusus, gravitatis et tensionis circa præcordia sensus; corporis universi torpor et lassitudo; cutis pruritus et ariditas; oris amaritudo; nausea sæpe vomitus; oculorum cutisque flavedo; fæces albidæ; urina obscure rubra, immissa colore luteo tingens; alvus plerumque astricta, nonnunquam pyrexia.

CAUSÆ.

Causæ remotæ sunt, calculi e bile confecti, bilis in intestina descensum prohibentes;

bentes ; ductûs spasmi ; tumores hepatis vel partium vicinarum ductum communem choledochum comprimentes ; bilis in intestinis retentio : Causa proxima est bilis absorptio vel regurgitatio in systema sanguiferum.

CURA.

Si ab calculis vel spasmo oriatur, eadem remedia sunt usurpanda ; si dolor hypochondrii dextri graviter urgeat, vel si ulla pyrexiæ signa adsint, sanguis ægroto detrahatur ; balneum tepidum ; emetica lenia ; opiata vel hyoscyamus ; fomenta ; epispastica ; laxantia, qualia alöe, oleum e seminibus ricini, sapo, carbonate potassæ purissimo et amaris conjunctis ; enemata emollientia ; diluentia tepida ; æther sulphuricus cum ovorum vitellis : ictus electrici ductum communem choledochum transmissi,

postea aqua seltzerana, cinchona et ferri præparationes: si ab bilis in intestinis retentione proveniat, alvi purgatio: si ab tumoribus vel visceribus morbosis oriatur, hydrargyrus, cicuta, etc.

LOCALES.

LOCALES.

CLASSIS IV. LOCALES.

CHARACTER.

Partis, non totius corporis, affectio.

ORDO I. DYSÆSTHESIÆ.

CHARACTER.

Sensus depravati aut deleti, ex organorum externorum vitio.

CAP. I. AMAUROSIS.

CHARACTER.

Visus imminutus vel prorsus abolitus, sine vitio oculi evidente, plerumque cum pupilla dilatata et immobili.

CAUSÆ.

Causæ remotæ sunt, cerebri compressio

ab congestione vel vi externa; atonia vel nervorum opticorum paralysis. Causa proxima est retinæ insensilitas.

CURA.

Si ab compressione vel congestione proveniat, remedia iis aptata sunt usurpanda; si ab atonia vel paralysi nervorum opticorum oriatur, stimulantia sunt utenda, qualia, epispastica temporibus; electricitas et scintillæ et ictus; errhina, ut sub-sulphas hydrargyri flavus cum pulveris glycyrrhizæ octuplo commistus; remedia stimulantia interna ad paralysin idonea sunt administranda.

CAP. II. DYSECOEA.

CHARACTER.

Auditus imminutus vel abolitus.

CAUSÆ.

CAUSÆ.

Vitium organicum; nimia auris siccitas; cerumen multum induratum; membranarum inaflmmatio; eustachii tuba obstructa; atonia vel paralysis nervi acustici; syphilis.

CURA.

Si ab vitio organico proveniat, immedicabilis est: si ab nimia auris siccitate vel cerumine indurato, solutio muriatis sodæ et emollientia sunt utenda: si ab inflammatione, sanguinis missio topica et alia inflammationi aptata sunt adhibenda, et aër externus est excludendus: si ab eustachii tuba obstructa, gargarismata, injectiones per syringem; errhina, ut pulvis asari et sub-sulphas hydrargyri flavus: ubi ex magno fragore me-

lius audit, jubendus est, ut obturatis ore et naribus, aërem expiratum vi, in eustachii tubam impellat, quo subito sæpe auditus restituitur: si ab atonia vel paralysi, stimulantia, electricitas: si ab lue venerea, hydrargyri præparationes sunt utendæ.

ORDO II. APOCENOSES.

CHARACTER.

Fluxus sive sanguis sive humores alii, solito uberius profluens, sine pyrexia impetuve fluidorum aucto.

CAP.

CAP. I. ENURESIS.

CHARACTER.

Urinæ e vesica fluxus involuntarius non dolens.

CAUSÆ.

Vesicæ sphincteris atonia vel paralysis; irritatio vel compressio.

CURA.

Atonia, perinæi lavatione frigida, epispasticis ei admotis et tonicis internis est amovenda; paralysis est depellenda epispasticis, electricitate et stimulantibus: si ab irritatione vel compressione oriatur, remedia iis propria sunt administranda.

ORDO III. EPISCHESES.

CHARACTER.

Excernendorum suppressiones.

CAP. I. ISCHURIA RENALIS.

CHARACTER.

Urinæ suppressio absoluta; prægresso renum morbo, cum dolore vel molesto gravitatis sensu in regione renum, femoris stupore, nausea sæpe vomitu, et sine hypogastrii tumore vel ad mingendum stimulo.

CAUSÆ.

Nephritis; calculi; sanguis congrumatus vel pus in renum pelvi, spasmi vel renum paralysis.

CURA.

CURA.

Si ab nephritide oriatur, remedia idonea sunt utenda quæ aliubi recensentur : si ab calculo, sanguinis missio plerumque nocet, ni adsit plethora; aliter non, balneum tepidum; opiata, enemata emollientia laxantia vel ex pini laricis resina liquida parata; diluentia; antispasmodica externe; alvi lenis purgatio cum oleo olivæ vel oleo e seminibus ricini : si ab spasmo, eadem remedia conveniunt : si ab sanguine congrumato, balneum tepidum; anodyna; enemata etc.; si ab paralysi, electricitas; stimulantia; epispastica etc.

CAP. II. ISCHURIA URETERICA

CHARACTER.

Urinæ suppressio absoluta; prægresso

renum

renum morbo, cum doloris vel molestiæ sensu in quadam ureteris parte, et sine hypogastrii tumore vel ad mingendum stimulo: Causas easdem ut prior agnoscit, et eandem medendi rationem postulat.

CAP. III. ISCHURIA VESICALIS.

CHARACTER.

Urinæ suppressio cum hypogastrii tumore, vesicæ figuram primo referente, dolore ad cervicem vesicæ vel ponderis sensu molesto, et frequenti ad mingendum stimulo.

CAUSÆ.

Cystitis; fibrarum musculosarum vel tunicarum vitium; calculi; sphincteris vesicæ

vesicæ spasmus; vesicæ paralysis; vesica diutius distenta; sanguis grumosus, mucus vel pus circa vesicæ collum; scybala; flatus; abscessus; hæmorrhoides; graviditas.

CURA.

Si adsit inflammatio, sanguis est detrahendus, aliter non; balneum tepidum utendum est; enemata laxantia; pubis frictio cum camphora in oleo soluta; opiata; his nihil valentibus, catheter immitti debet, vel punctura vesicæ: an emeticum? si ab tunicarum vitio proveniat, hydrargyrus, cicuta et electricitas: si ab calculis, lithontriptica, ut aqua kali puri, aqua super-carbonatis potassæ vel sodæ, enemata anodyna, lapis suillus, uva ursi; et his nihil juvantibus, peragenda sit lithotomia: si ab spasmo, venæsectio, balneum tepidum, opiata, enemata

enemata emollientia: si ab paralysi, remedia antea recensita: si ab vesica diutius distenta, applicationes frigidæ hypogastrio sunt admovendæ: si ab sanguine grumoso, muco vel pure, balneum tepidum; enemata; opiata: si ab graviditate, catheter adhibendum est: si ab aliis causis, remedia antea memorata quæ iis sunt idonea usurpanda sunt.

CAP. IV. ISCHURIA URETHRALIS.

CHARACTER.

Urinæ suppressio cum tumore hypogastrii circumscripto, frequenti ad mingendum stimulo, et dolore in aliqua parte urethræ.

CAUSÆ.

Perinæi tumor; calculus urethræ impactus;

pactus; sanguis grumosus, mucus vel pus; urethræ inflammatio; strictura; carunculæ; phymosis; scirrhus vel glandulæ prostatæ vitium.

CURA.

Causæ remotæ sunt amovendæ; si ab calculo oriatur semicupium, fomenta, opiata, enemata emollientia, demulcentia mucilaginosa, sunt utenda; his nihil valentibus, extrahendus est calculus: si ab strictura proveniat, tinctura muriatis ferri, in dosi guttarum decem omni horæ sexta parte, donec solvitur spasmus, est utenda: Plurimæ aliæ causæ opem chirurgi postulant: urina arte est evacuanda modis propriis.

ORDO

ORDO IV. DIALYSES.

CHARACTER.

Solutio continua, visu tactuve manifesta.

CAP. I. HERPES.

CHARACTER.

Vesiculæ cuticulares humore aqueo plenæ, vel ulcuscula plurima, gregalia, pruriginosa, serpentia; nunc humida, nunc sicca in squamas furfuraceas raro crustaceas abeuntia.

CURA.

Acidum sulphuricum; tinctura meloës vesicatorii; tinctura veratri; aqua calcis; decoctum ulmi; pilulæ sub-muriatis hydrargyri compositæ (vulgo Plummeri dictæ): ulcera sunt inungenda unguento

unguento nitratis hydrargyri vel acido sulphurico octuplo ponderis unguenti adipis suillæ commisto, vel sunt lavanda sulphatis ferri solutione, vel sulphureti potassæ lotione.

CAP. II. TINEA.

CHARACTER.

In cute capillata ad radices capillorum ulcuscula, humorem in crustam albam friabilem abeuntem fundentia.

CURA.

Capitis rasura; balneum calidum; epispastica; fontanellæ; unguentum nitratis hydrargyri; emplastrum picis nigræ; solutio sulphureti potassæ in proportione drachmarum duarum ejus ad

aquæ libram, et remedia interna ad herpem idonea.

CAP. III. PSORA.

CHARACTER.

Pustulæ et ulcuscula lecti calore valde pruriginosa, contagiosa, digitos internos, carpos, artusque infestantia.

CURA.

Frictio cum unguento sulphuris vel lavatio corporis partium affectarum oxidi arsenici vel muriatis hydrargyri solutione, vel acidum sulphuricum interne.

INDEX MORBORUM.

A

C

D

E

G

H

I

L

M

N

Ophthalmia

O

P

Q

R

Remitten

S

T

U

Varicella

V

MEDICAMENTORUM NOMINA

MUTATA ET NOVA.

Nomina Mutata.	*Nomina Nova.*
ABSINTHIUM.	Artemisia absinthium.
Acetosa.	Rumex acetosa.
Acetum vini.	Acidum acetosum.
Acidum vitriolicum.	Acidum sulphuricum.
——— vitrioli aromaticum.	——————— aromaticum.
Ærugo.	Sub-acetis cupri.
Æther vitriolicus.	Æther sulphuricus.
Æthiops mineralis.	Sulphuretum hydrargyri nigrum.
Agaricus.	Boletus igniarius.
Alkali causticum.	Potassa.
——— fixum fossile.	Carbonas sodæ.
——— ——— vegetabile.	——— potassæ impurus.
——— volatile.	——— ammoniæ.
Alumen.	Sulphas aluminæ.
——— ustum.	——— ——— exsiccatus.
Ammonia muriata.	Murias ammoniæ.
——— præparata.	Carbonas ammoniæ.
Amygdala dulcis.	Amygdalus communis.

Nomina Mutata.	*Nomina Nova.*
Angelica sativa.	Angelica archangelica.
Anisum.	Pimpinella anisum.
Antimonium.	Sulphuretum antimonii.
—— —— *calcareo-phosphoratum.*	Oxidum antimonii cum phosphate calcis.
—— —— *muriatum.*	Murias antimonii.
—— —— *tartarisatum.*	Tartris antimonii.
Aqua ammoniæ.	Aqua carbonatis ammoniæ.
—— —— *acetatæ.*	—— acetitis ammoniæ.
—— —— *causticæ.*	—— ammoniæ.
—— *cupri vitriolati composita*, vel *aqua styptica.*	Solutio sulphatis cupri composita.
—— *lixivia caustica.*	Aqua potassæ.
—— *zinci vitriolati.*	Solutio sulphatis zinci.
Arabicum gummi.	Gummi mimosæ Niloticæ.
Argentum nitratum.	Nitras argenti.
—— —— *vivum.*	Hydrargyrus.
Arsenicum.	Oxidum arsenici.
Assa fœtida.	Gummi-resina ferulæ assæ fœtidæ.
Aurantium Hispalense.	Citrus aurantium.
Axungia porcina.	Adeps suis scrofæ.
Balsamum Canadense.	Resina liquida pini balsameæ.
Balsamum Copaibæ	Resina liquida copaiferæ officinalis.
—— —— *Gileadense.*	—— —— amyridis Gileadensis.
—— —— *Peruvianum.*	Balsamum myroxyli Peruiferi.
—— —— *Tolutanum.*	—— —— Toluiferæ balsami.

Nomina Mutata.	*Nomina Nova.*
Balsamum traumaticum.	Tinctura benzoin composita.
Bardana.	Arctium lappa.
Barilla.	Carbonas sodæ impurus.
Barytes.	——— barytæ.
Belladonna.	Atropa belladonna.
Benzoinum.	Balsamum styracis benzoin.
Bistorta.	Polygonum bistorta.
Borax.	Boras sodæ.
Butyrum antimonii.	Murias antimonii.
Cajeputa.	Melaleucaleucadendron.
Calamus aromaticus.	Acorus calamus.
Calomelas.	Sub-murias hydrargyri.
Calx viva.	Calx.
Cancrorum lapilli.	Carbonas calcis durior.
Cantharis.	Meloë vesicatorius.
Cardamomum minus.	Amomum repens.
Carduus benedictus.	Centaurea beuedicta.
Carica.	Fructus fici caricæ.
Carvi.	Carum carui.
Caryophylla aromatica.	Caryophyllus aromaticus.
——— *rubra.*	Dianthus caryophyllus.
Cascarilla.	Croton eleutheria.
Cassia fistularis.	Cassia fistula.
——— *lignea.*	Laurus cassia.
Catechu.	Mimosa catechu.
Causticum commune acerrimum.	Potassa.
——— ——— *mitius.*	——— cum calce.
——— *lunare.*	Nitras argenti.

Nomina Mutata.	*Nomina Nova.*
Centaurium minus.	Chironia centaurium.
Cerussa.	Oxidum plumbi album, *vel* Carbonas plumbi.
——— *acetata.*	Acetis plumbi.
Chamæmelum.	Anthemis nobilis.
Cicuta.	Conium maculatum.
Cinnabaris factitia.	Sulphuretum hydrargyri rubrum.
Cinara hortensis.	Cinara scolymus.
Cineres clavellati.	Carbonas potassæ impurus.
Cinnamomum.	Laurus cinnamomum.
Coccinella.	Coccus cacti.
Colocynthis.	Cucumis colocynthis.
Confectio Japonica.	Electuarium mimosæ catechu.
Contrajerva.	Dorstenia contrajerva.
Cortex Peruvianus.	Cortex cinchonæ officinalis.
Creta alba.	Carbonas calcis mollior.
Crocus antimonii. ——— *metallorum.*	Oxidum antimonii cum sulphure per nitratem potassæ.
Crystalli tartari.	Super-tartris potassæ.
Cucumis agrestis.	Momordica elaterium.
Cuprum ammoniacum.	Ammoniaretum cupri.
Cuprum vitriolatum.	Sulphas cupri.
Cynosbatos.	Rosa canina.
Daucus silvestris.	Daucus carota.
Decoctum chamæmeli vel *commune.*	Decoctum anthemidis nobilis.
——— ——— *lignorum.*	——— ——— guaiaci compositum.

Nomina Mutata.	*Nomina Nova.*
Dens leonis.	Leontodon taraxacum.
Elaterium.	Succus spissatus momordicæ elaterii.
Electuarium lenitivum.	Electuarium cassiæ sennæ.
Elixir paregoricum.	Tinctura opii ammoniata.
—— *sacrum.*	——— rhei et aloës.
—— *salutis.*	——— sennæ composita.
—— *stomachicum.*	——— gentianæ composita.
Emplastrum adhæsivum.	Emplastrum resinosum.
——— *cereum.*	——— simplex.
——— *lithargyri* vel *commune.*	——— oxidi plumbi semivitrei.
——— *lithargyri compositum* vel *roborans.*	——— oxidi ferri rubri.
——— *vesicatorium.*	——— meloës vesicatorii.
Emulsio communis.	Emulsio amygdalæ communis.
Ferrum ammoniatum.	Murias ammoniæ et ferri.
Ferri rubigo.	Carbonas ferri.
—— *squamæ purificatæ.*	Oxidum ferri nigrum purificatum.
—— —— *præparatæ.*	——— ——— ——— præparatum.
Ferrum vitriolatum.	Sulphas ferri.
—— —— *ustum.*	Oxidum ferri rubrum.
Filix mas.	Polypodium filix mas.
Flores martiales.	Murias ammoniæ et ferri

Nomina Mutata.	*Nomina Nova.*
Flores sulphuris.	Sulphur sublimatum.
Flores zinci.	Oxidum zinci.
Fœniculum dulce.	Anethum fœniculum.
Galbanum.	Gummi-resina bubonis galbani.
Genista.	Spartium scoparium.
Granata malus.	Punica granatum.
Gummi Arabicum.	Gummi mimosæ Niloticæ.
Helleborus albus.	Veratrum album.
Hepar sulphuris.	Sulphuretum potassæ.
Hippocastanum.	Æsculus Hippocastanum.
Hydrargyrus acetatus.	Acetis hydrargyri.
——— *muriatus corrosivus.*	Murias hydrargyri.
——— ——— *mitis.*	Sub-murias hydrargyri *sive* calomelas.
——— ——— *præcipitatus.*	——— ——— præcipitatus.
Hydrargyrus nitratus ruber.	Oxidum hydrargyri rubrum per acidum nitricum.
——— *præcipitatus cinereus.*	Oxidum hydrargyri cinereum.
——— *sulphuratus niger.*	Sulphuretum hydrargyri nigrum.
——— *vitriolatus flavus.*	Sub-sulphas hydrargyri flavus.
Infusum amarum.	Infusum gentianæ compositum.
——— *rosarum.*	——— rosæ Gallicæ.

Nomina Mutata.	*Nomina Nova.*
Jalapa.	Convolvulus jalapa.
Lapis calaminaris.	Carbonas zinci impurus.
Lavendula.	Lavandula spica.
Laudanum liquidum.	Tinctura opii.
Lignum Campechense.	Lignum hæmatoxyli Campechiani.
Limon.	Citrus medica.
Linimentum anodynum vel *opiatum.*	Tinctura saponis et opii.
——— *saponaceum.*	Tinctura saponis.
——— *volatile.*	Oleum ammoniatum.
Lithargyrus.	Oxidum plumbi semivitreum.
Lixiva acetata.	Acetis potassæ.
——— *e tartaro.*	Carbonas potassæ purissimus.
——— *purificata.*	Carbonas potassæ.
——— *tartarisata.*	Tartris potassæ.
——— *vitriolata.*	Sulphas potassæ.
——— *sulphurea.*	——— cum sulphure.
Lixivium causticum.	Aqua potassæ.
Magnesia alba.	Carbonas magnesiæ.
——— *usta.*	Magnesia.
——— *vitriolata.*	Sulphas magnesiæ.
Majorana.	Origanum majorana.
Manna.	Succus concretus fraxini orni.
Marmor album.	Carbonas calcis durior.
Mastiche.	Resina pistaciæ lentisci.
Melampodium.	Helleborus niger.

Nomina Mutata.	*Nomina Nova.*
Mercurius.	Hydrargyrus.
——— *præcipitatus ruber.*	Oxidum hydrargyri rubrum.
——— *sublimatus corrosivus*	Murias hydrargyri.
Mezereum.	Daphne mezereum.
Minium.	Oxidum plumbi rubrum.
Muria.	Murias sodæ.
Nasturtium aquaticum.	Sisymbrium nasturtium.
Nitrum.	Nitras potassæ.
Nux moschata.	Nucleus fructûs myristicæ moschatæ.
Olea stillatitia.	Olea volatilia.
Oleum succini rectificatum.	Oleum succini purissimum.
Oleum terebinthinæ rectificatum.	Oleum volatile pini purissimum.
Olibanum.	Gummi-resina juniperi lyciæ.
Oliva.	Olea Europæa.
Palma.	Cocos butyracea.
Petroleum Barbadense.	Bitumen petroleum.
Petroselinum.	Apium petroselinum.
Pilulæ cupri.	Pilulæ ammoniareti cupri.
——— *thebaicæ.*	——— opiatæ.
Pimenta.	Myrtus pimenta.
Piper Indicum.	Capsicum annuum.
——— *Jamaicense.*	Fructus myrti pimentæ.
Pix Burgundica.	Resina sponte concreta pini abietis.

Nomina Mutata.	*Nomina Nova.*
Pix liquida.	Resina empyreumatica pini sylvestris.
Plumbum ustum.	Oxidum plumbi semivitreum.
Potio cretacea.	Potio carbonatis calcis.
Prunus Gallica.	Prunus domestica.
Pulegium.	Mentha pulegium.
Pulvis antimonialis.	Oxidum antimonii cum phosphate calcis.
—— *cretaceus.*	Pulvis carbonatis calcis compositus.
—— *Doveri.*	——ipecacuanhæ et opii.
Pyrethrum.	Anthemis pyrethrum.
Raphanus rusticanus.	Cochlearia armoracia.
Rhabarbarum.	Rheum palmatum.
Resina alba.	Resina pini.
Rosa pallida.	Rosa centifolia.
—— *rubra.*	—— Gallica.
Rubigo ferri præparata.	Carbonas ferri præparatus.
Sabina.	Juniperus sabina.
Saccharum saturni.	Acetis plumbi.
Sal alkalinus fixus fossilis.	Carbonas sodæ.
— —— —— *vegetabilis.*	——— potassæ.
— *ammoniacus.*	Murias ammoniæ.
— *catharticus amarus.*	Sulphas magnesiæ.
— *cornu cervi.*	Carbonas ammoniæ,
— *Glauberi.*	Sulphas sodæ.
— *marinus Hispanus.*	Murias sodæ.

Nomina Mutata.	*Nomina Nova.*
Sal polychrestus.	Sulphas potassæ cum sulphure.
— *Rupellensis.*	Tartris potassæ et sodæ.
— *succini.*	Acidum succinicum.
— *tartari.*	Carbonas potassæ purissimus.
Sanguis draconis.	Resina pterocarpi draconis.
Santalum rubrum.	Pterocarpus santalinus.
Santonicum.	Artemisia santonicum.
Sarsaparilla.	Smilax sarsaparilla.
Sassafras.	Laurus sassafras.
Scammonium.	Gummi-resina convolvuli scammoniæ.
Seneka.	Polygala senega.
Senna.	Cassia seuna.
Serpentaria Virginiana.	Aristolochia serpentaria.
Simarouba.	Quassia simaruba.
Sinapi album.	Sinapis alba.
Soda.	Carbonas sodæ.
—— *muriata.*	Murias sodæ.
—— *phosphorata.*	Phosphas sodæ.
—— *tartarisata.*	Tartris potassæ et sodæ.
—— *vitriolata.*	Sulphas sodæ.
Spiritus ætheris vitriolici.	Æther sulphuricus cum alcohole.
——— *ammoniæ.*	Alcohol ammoniatum.
——— *cornu cervi.*	Aqua carbonatis ammoniæ.
——— *Mindereri.*	—— acetitis ammoniæ.
——— *salis ammoniaci.*	—— carbonatis ammoniæ.
——— *vinosus rectificatus.*	Alcohol.

Nomina Mutata.	*Nomina Nova.*
Spiritus vinosus tenuior.	Alcohol dilutum.
——— ——- *camphoratus.*	Tinctura camphoræ.
Staphisagria.	Delphinium staphisagria.
Stramonium.	Datura stramonium.
Sulphur antimonii præcipitatum. ——— *auratum antimonii.*	Sulphuretum antimonii præcipitatum.
Syrupus balsamicus vel *Tolutanus.*	Syrupus toluiferæ balsami.
——— *papaveris albi.*	——— papaveris somniferi.
Taraxacum.	Leontodon taraxacum.
Tartarus crudus.	Super-tartris potassæ impurus.
Tartari crystalli.	——— potassæ.
Tartarus emeticus.	Tartris antimonii.
Tartarum solubile.	——— potassæ.
——— *vitriolatum.*	Sulphas potassæ.
Terebinthina Veneta.	Resina liquida pini laricis.
Terra Japonica.	Extractum mimosæ catechu.
——— *ponderosa vitriolata.*	Sulphas barytæ.
Tinctura aloës vitriolata.	Tinctura aloës ætherea.
——— *aromatica.*	——— cinnamomi composita.
——— *ferri.*	——— muriatis ferri.
——— *cantharidum.*	——— meloës vesicatorii.

Nomina Mutata.	*Nomina Nova.*
Tinctura Japonica.	Tinctura mimosæ catechu.
——— *rhei amara.*	——— rhei et gentianæ.
——— *sacra.*	Vinum aloës Socotorinæ.
——— *Tolutana.*	Tinctura toluiferæ balsami.
Toxicodendron.	Rhus toxicodendron.
Tragacantha.	Astragalus tragacantha.
Trifolium palustre.	Menyanthes trifoliata.
Trochisci Arabici.	Trochisci gummosi.
Turpethum minerale.	Sub-sulphas hydrargyri flavus.
Tutia.	Oxidum zinci impurum.
Unguentum album vel *cerussæ.*	Unguentum oxidi plumbi albi.
——— ——— *æruginis.*	——— ——— sub-acetitis cupri.
——— ——— *cæruleum.*	——— ——— hydrargyri.
Unguentum citrinum.	——— ——— nitratis hydrargyri.
——— ——— *epispasticum fortius.*	——— ——— pulveris meloës vesicatorii.
——— ——— ——— ——— *mitius.*	——— ——— infusi meloës vesicatorii.
——— ——— *saturninum.*	——— ——— acetitis plumbi.
——— ——— *tutiæ.*	——— ——— oxidi zinci impuri.
Uva passa.	Fructus siccatus vitis viniferi.

Nomina Mutata.	*Nomina Nova.*
Uva ursi.	Arbutus uva ursi.
Valeriana sylvestris.	Valeriana officinalis.
Vinum amarum.	Vinum gentianæ compositum.
——- *antimoniale.*	——— tartritis antimonii.
Vitriolum album.	Sulphas zinci.
——— *cæruleum.*	——— cupri.
——— *viride.*	——— ferri.
Vitrum antimonii.	Oxidum antimonii cum sulphure vitrificatum.
——— *ceratum.*	Oxidum antimonii vitrificatum cum cera.
Winteranus cortex.	Cortex Winteræ aromaticæ.
Zincum ustum.	Oxidum zinci.
——— *vitriolatum.*	Sulphas zinci.
Zingiber.	Amomum zingiber.

MEDICAMENTORUM NOMINA

NOVA ET MUTATA.

Nomina Nova.	Nomina Mutata.
ACETIS hydrargyri.	*Hydrargyrus acetatus.*
——— potassæ.	*Lixiva acetata* vel *tartarum regeneratum.*
——— plumbi.	*Cerussa acetata* vel *saccharum saturni.*
Acidum acetosum.	*Acetum vini.*
——— succinicum.	*Sal succini.*
——— sulphuricum.	*Acidum vitriolicum.*
——— ——— aromaticum	——— *vitrioli aromaticum.*
Acorus calamus.	*Calamus aromaticus.*
Æsculus hippocastanum.	*Hippocastanum.*
Æther sulphuricus.	*Æther vitriolicus.*
——— ——— cum alcohole.	*Spiritus ætheris vitriolici.*
Alcohol.	*Spiritus vinosus rectificatus* vel *purissimus.*
Alcohol ammoniatum.	——— *ammoniæ.*
——— dilutum.	——— *vinosus tenuior* vel *dilutus.*
Ammoniaretum cupri.	*Cuprum ammoniacum.*
Amomum repens.	*Cardamomum minus.*
——— zingiber.	*Zingiber.*

Nomina Nova.	Nomina Mutata.
Amygdali communis nucleus.	*Amygdala dulcis.*
Amyridis Gileadensis resina liquida.	*Balsamum Gileadense.*
Anethum fœniculum.	*Fœniculum dulce.*
Angelica archangelica.	*Angelica sativa.*
Anthemis nobilis.	*Chamæmelum.*
——— pyrethrum.	*Pyrethrum.*
Apium petroselinum.	*Petroselinum.*
Aqua acetitis ammoniæ.	*Aqua ammoniæ acetatæ,* vel *spiritus Mindereri.*
—— ammoniæ.	*Aqua ammoniæ causticæ.*
—— carbonatis ammoniæ.	— — ———, vel *spiritus cornu cervi.*
—— potassæ.	—— *lixivia caustica* ,vel *lixivium causticum.*
Arbutus uva ursi.	*Uva ursi.*
Arctium lappa.	*Bardana.*
Aristolochia serpentaria.	*Serpentaria Virginiana.*
Artemisia absinthium.	*Absinthium.*
——— santonicum.	*Santonicum.*
Astragalus tragacantha.	*Tragacantha.*
Atropa belladonna.	*Belladonna,* vel *solanum lethale.*
Bitumen petroleum.	*Petroleum barbadense.*
Boletus igniarius.	*Agaricus.*
Boras sodæ.	*Borax.*
Bubonis galbani gummiresina.	*Galbanum.*
Calx.	*Calx viva.*
Capsicum annuum.	*Piper Indicum.*
Carbouas ammoniæ.	*Ammonia præparata,* vel *sal cornu cervi.*
——— barytæ.	*Barytes.*

Nomina Nova.	Nomina Mutata.
Carbonas calcis mollior.	*Creta alba.*
——— ——— durior.	*Marmor album et lapilli cancrorum.*
——— ferri.	*Ferri rubigo.*
——— magnesiæ.	*Magnesia alba.*
——— plumbi.	*Cerussa.*
——— potassæ.	*Lixiva purificata*, vel *sal alkalinus fixus vegetabilis purificatus.*
——— potassæ impurus.	——— *impura* vel *alkali fixum vegetabile.*
——— ——— purissimus.	——— *e tartaro*, vel *sal tartari.*
——— sodæ impurus.	*Barilla.*
——— sodæ.	*Soda*, vel *sal alkalinus fixus fossilis purificatus.*
——— zinci impurus.	*Lapis calaminaris.*
Carum carui.	*Carvi.*
Cassia senna.	*Senna.*
Centaurea benedicta.	*Carduus benedictus.*
Chironia centaurium.	*Centaurium minus.*
Cinchonæ officinalis cortex.	*Cortex Peruvianus.*
Citrus aurantium.	*Aurantium Hispalense.*
——— medica.	*Limon.*
Coccus cacti.	*Coccinella.*
Cochlearia armoracia.	*Raphanus rusticanus.*
Cocos butyracea.	*Palma.*
Conium maculatum.	*Cicuta.*
Convolvuli scammoniæ gummi-resina.	*Scammonium.*
Convolvulus jalapa.	*Jalapa.*
Copaiferæ officinalis resina liquida.	*Balsamum copaibæ.*
Croton eleutheria.	*Cascarilla.*

Nomina Nova.	Nomina Mutata.
Cucumis colocynthis.	*Colocynthis.*
Daphne mezereum.	*Mezereum.*
Datura stramonium.	*Stramonium.*
Delphinium staphisagria.	*Staphisagria.*
Dianthus caryophyllus.	*Caryophylla rubra.*
Dorstenia contrajerva.	*Contrajerva.*
Emplastrum meloës vesicatorii.	*Emplastrum vesicatorium.*
——— oxidi ferri rubri.	——— *roborans.*
——— —— plumbi semi-vitrei.	——— *commune* vel *lithargyri.*
Emulsio amygdalæ communis.	*Emulsio communis.*
Ferulæ assæ fœtidæ gummi-resina.	*Assa fœtida.*
Fraxini orni succus concretus.	*Manna.*
Gummi mimosæ Niloticæ.	*Gummi Arabicum.*
Hæmatoxyli Campechiani lignum.	*Lignum Campechense.*
Helleborus niger.	*Melampodium.*
Hydrargyrus.	*Argentum vivum*, sive *mercurius.*
Juniperi Lyciæ resina.	*Olibanum.*
Juniperus sabina.	*Sabina.*
Laurus cassia.	*Cassia lignea.*

Nomina Nova.	Nomina Mutata.
Laurus cinnamomum.	*Cinnamomum.*
——— sassafras.	*Sassafras.*
Leontodon taraxacum.	*Dens leonis.*
Magnesia.	*Magnesia usta.*
Melaleuca leucadendron.	*Cajeputa.*
Meloë vesicatorius.	*Cantharis.*
Mentha pulegium.	*Pulegium.*
Menyanthes trifoliata.	*Trifolium.*
Mimosæ catechu extractum.	*Terra Japonica.*
Momordica elaterium.	*Cucumis agrestis.*
Momordicæ elaterii succus spissatus.	*Elaterium.*
Murias ammoniæ.	*Ammonia muriata*, vel *sal ammoniacus.*
——— ——— et ferri.	*Ferrum ammoniatum*, vel *flores martiales.*
——— antimonii.	*Antimonium muriatum*, vel *butyrum antimonii.*
——— hydrargyri.	*Mercurius sublimatus corrosivus.*
——— sodæ.	*Soda muriata, sal marinus*, vel *muria.*
Myroxyli Peruiferi balsamum.	*Balsamum Peruvianum.*
Myrtus pimenta.	*Pimenta.*
Nitras argenti.	*Argentum nitratum* vel *causticum lunare.*
—— potassæ.	*Nitrum.*
Olea fixa.	*Olea expressa.*
—— volatilia.	—— *stillatitia* vel *essentialia.*

Nomina Nova.	Nomina Mutata.
Origanum majorana.	*Majorana.*
Oxidum antimonii cum sulphure per nitratem potassæ.	*Crocus antimonii*, vel *crocus metallorum.*
——— antimonii cum phosphate calcis.	*Pulvis antimonialis*, vel *antimonium calcareo-phosphoratum.*
——— antimonii cum sulphure vitrificatum.	*Vitrum antimonii.*
——— antimonii vitrificatum cum cera.	*Vitrum antimonii ceratum.*
——— arsenici.	*Arsenicum.*
——— ferri nigrum.	*Ferri squamæ.*
——— ——— rubrum.	*Ferrum vitriolatum ustum* vel *colcothar vitrioli.*
——— hydrargyri cinereum.	*Hydrargyrus præcipitatus cinereus.*
——— hydrargyri rubrum per acidum nitricum.	——— *nitratus ruber*, vel *præcipitatus ruber.*
——— plumbi album.	*Cerussa.*
——— ——— rubrum.	*Minium*, vel *plumbum ustum rubrum.*
——— ——— semivitreum.	*Lithargyrus*, vel *plumbum ustum.*
——— zinci.	*Zincum ustum*, vel *flores zinci.*
——— ——— impurum.	*Tutia.*
Pilulæ opiatæ.	*Pilulæ opii* vel *thebaicæ.*
Pimpinella anisum.	*Anisum.*
Pini abietis resina sponte concreta.	*Pix Burgundica.*
——— balsameæ resina liquida.	*Balsamum Canadense.*

Nomina Nova.	Nomina Mutata.
Pini laricis resina liquida	*Terebinthina Veneta.*
——— oleum volatile.	*Oleum terebinthinæ.*
—— sylvestris resina empyreumatica.	*Pix liquida.*
Pistaciæ lentisci resina.	*Mastiche.*
Phosphas sodæ.	*Soda phosphorata.*
Polygala senega.	*Seneka.*
Polygonum bistorta.	*Bistorta.*
Polypodium filix mas.	*Filix mas.*
Potassa.	*Causticum commune acerrimum.*
——— cum calce.	——— ——— *mitius.*
Potio carbonatis calcis.	*Potio cretacea.*
Pterocarpi draconis resina.	*Sanguis draconis.*
Pterocarpus santalinus.	*Santalum rubrum.*
Pulvis carbonatis calcis compositus.	*Pulvis cretaceus.*
——— ipecacuanhæ et opii.	——- *ipecacuanhæ compositus* vel *Doveri.*
——— sulphatis aluminæ compositus.	——- *aluminis compositus* vel *stypticus.*
Quassia simaruba.	*Simarouba.*
Resina pini.	*Resina alba.*
Rheum palmatum.	*Rhabarbarum.*
Rhus toxicodendron.	*Toxicodendron.*
Rosa canina.	*Cynosbatos.*
—— centifolia.	*Rosa pallida.*
—— Gallica.	—— *rubra.*
Sisymbrium nasturtium	*Nasturtium aquaticum.*

Nomina Nova.	Nomina Mutata.
Smilax sarsaparilla.	*Sarsaparilla.*
Solutio sulphatis cupri composita.	*Aqua cupri vitriolati composita* vel *styptica.*
Spartium scoparium.	*Genista.*
Styracis benzoin balsamum.	*Benzoinum.*
Sub-acetis cupri.	*Ærugo.*
Sub-murias hydrargyri.	*Hydrargyrus muriatus mitis* vel *calomelas.*
——— hydrargyri præcipitatus.	*Hydrargyrus muriatus præcipitatus.*
Sub-sulphas hydrargyri flavus.	*Hydrargyrus vitriolatus flavus*, vel *turpethum minerale.*
Sulphas aluminæ.	*Alumen.*
——— ——— exsiccatus.	——— *ustum.*
——— cupri.	*Cuprum vitriolatum* vel *vitriolum cæruleum.*
——— ferri.	*Ferrum vitriolatum*, vel *vitriolum viride.*
——— magnesiæ.	*Magnesia vitriolata* vel *sal catharticus amarus.*
——— potassæ.	*Lixiva vitriolata* vel *tartarum vitriolatum.*
——— ——— cum sulphure.	*Lixiva vitriolata sulphurea* vel *sal polychrestus.*
——— sodæ.	*Soda vitriolata* vel *sal Glauberi.*
——— zinci.	*Zincum vitriolatum* vel *vitriolum album.*
Sulphur sublimatum.	*Flores sulphuris.*
Sulphuretum antimonii.	*Antimonium.*
——— antimonii præcipitatum.	*Sulphur antimonii præcipitatum* vel *auratum.*

Nomina Nova.	Nomina Mutata.
Sulphuretum hydrargyri rubrum.	*Cinnabaris factitia.*
——— hydrargyri nigrum.	*Hydrargyrus sulphuratus niger* vel *æthiops mineralis.*
——— potassæ.	*Hepar sulphuris.*
Super-tartris potassæ impurus.	*Tartarus crudus.*
——— potassæ.	*Tartarus purificatus* vel *crystalli tartari.*
Syrupus Toluiferæ balsami.	*Syrupus balsamicus.*
Tartris antimonii.	*Antimonium tartarisatum* vel *tartarus emeticus.*
——— potassæ.	*Lixiva tartarisata* vel *tartarum solubile.*
——— et sodæ.	*Soda tartarisata* vel *sal Rupellensis.*
Tinctura benzoin composita.	*Balsamum traumaticum.*
——— camphoræ.	*Spiritus vinosus camphoratus.*
——— sennæ composita.	*Elixir salutis.*
——— muriatis ferri.	*Tinctura ferri* vel *martis.*
——— rhei et gentianæ.	——— *rhei amara.*
——— opii.	*Laudanum liquidum* vel *tinctura thebaica.*
——— saponis.	*Linimentum saponaceum.*
——— et opii.	——— *anodynum.*
Toluifera balsamum.	*Balsamum Tolutanum.*
Unguentum nitratis hydrargyri fortius.	*Unguentum citrinum.*
Veratrum album.	*Helleborus albus.*

Nomina Nova.	Nomina Mutata.
Vinum aloës socotorinæ.	*Vinum aloëticum* vel *tinctura sacra.*
——- tartritis antimonii.	——— *antimonii tartarisati*, vel *vinum antimoniale.*

FINIS.

Excudebant Richardus Taylor et Socius, in Shoe-Lane.